CHOERILI SAMII

QVAE SVPERSVNT

COLLEGIT ET ILLVSTRAVIT

DE

CHOERILI SAMII AETATE VITA ET POESI
ALIISQVE CHOERILIS

DISSERVIT

AVGVSTVS FERDINANDVS NAEKIVS

PHIL. D. LITTERAR. HVM. IN ACAD. HALENSI MAG.
PAED. R. COLL.

INEST DE SARDANAPALI EPIGRAMMATIS
DISPVTATIO.

LIPSIAE

IN LIBRARIA WEIDMANNIA

MDCCCXVII

PATRI OPTIMO

IOANNI THEOPHILO NAEKIO

S. D.

AVGVSTVS FILIVS.

Tuus ad Te redit libellus. Tuum enim est, quod his litteris me addixi. Tu puerum Portae me tradidisti, quae primum litterarum antiquarum amorem me docuit; tum permisisti, vt Lipsiam Hermannúmque adirem, et studia ea, quae diligere coepissem, vt amplecterer ante alia.

At quum Portae me tradebas, non praesagiueras, quemnam hoc exitum habiturum esset, et Te renuente potius, quam adhortante, hanc vitae rationem, quae nunc mea est, amplexus sum. Sed haec grauissima caussa est, cur hunc librum Tibi inscripserim. Nimirum scio, quam saepe securitatem otii Tui, quod exiguum propter muneris amplitudinem, disturbauerit, quam de me fouebas, cura et dubitatio, an

viam nimis spinosam ingressus essem. Quare si quando laeta et bona mihi euenerunt, vel quae boni augurium habere viderentur, ea mihi laetiora fuerunt propter Te. Sic hunc Tibi libellum sacrum esse volui, de quo quae narrauissem, intellexi Tibi grata fuisse, et magis grata erunt, quae alii narraturi sunt, si aequis ille iudicibus non displicuerit.

Haec scribenti ante animum reuixit paternae domus consuetudo, quam omni re optatiorem esse nuper admodum edoctus scio. Surgit Tua imago, venerande pater; surgit Eius, quam illo, quod Horatius Tuus dicit, desiderio, cui nec pudor est nec modus, prosequeris. Occurrunt sorores dilectissimae fratresque carissimi. Quae cogitatio dum pectus meum dulci amaritie perturbat, vnum sentio ante omnia, et in hoc vnum omnia vota mea exeunt, vt Deus Optimus Maximus vitam Tuam ad terminum producat quam remotissimum.

Dabam Halis Sax. III. Id. Maias, a. cIↃIↃcccxvii.

PRAEFATIO.

Choerilum qui factum sit vt edam, miror ipse. Ac pæne irascor fortunæ illi ludibrio vel ingenii mei perversitati, per quam factum est, vt leuiora proferam, quam fortasse exspectauerunt, qui benigne de me sentiunt. Equidem si libero prorsus consilio hoc mihi proposuissem, vt scriptoris alicuius deperditi reliquias colligerem, facile alium scriptorem electurus fuissem, non Choerilum. Sed inter alia versanti Choerilus se obtulit. Cuius notitiam quum mature intellexissem valde adhuc mancam et obscuram esse, nouitas rei me allexit, detinuit, abripuit. Conscripsi quæ obseruassem; primum meos in vsus: mox natum est consilium edendi, quæ conscripsissem. Ita vt quæ aliquot schedulis continebantur primitus, paullatim iusti libri modum expleuerint. Choerili Samii memoriam redintegrare omnino operæ pretium erat. Vt enim eius studii, quod collocatur in reliquiis scriptorum deperditorum, multiplex est vtilitas et apud alios alia: ita, quibus illud adhibeatur, ante omnes digni sunt hi, qui vel in eo litterarum genere elaborauerint, cuius exempla integra plane non supersunt, vel ea ætate elaborauerint, vnde integra opera ad nos transmissa nulla. Sic demum eo peruenietur, vt penitus cognoscatur litterarum antiquarum inter se nexus et amplitudo. De aliis Choeri-

lis quæstio non declinanda fuit. Denique quæ ad Sardanapalum referuntur epigrammata, vel per se ipsa merebantur, vt excuterentur et illustrarentur. Est vbi prorsus aliena inserui, sed raro. Longius excurrere, vbi occasio ita ferret, non piguit: nec tamen vltra id, quod permittere videretur finis disputationis. Prudentius vtique facturus eram, et offensionem magis euitaturus, si arctiore spatio me continuissem. Nunc, si crebrius errauerim, opto, vt excusationis loco habeatur ipsa rerum, quæ mihi tractandæ fuerunt, multitudo et varietas.

Quod in publicum editur hic liber, si bene editur, gratiam habeo Schæfero, per quem opportunitatem edendi, eamque honestam, nactus sum. Qua re antiquam ille erga me voluntatem et beneuolentiam lætissimo exemplo approbauit. Idem, quod exspectare vix ausus eram, hoc mihi tribuit, vt operas regere, ingratissimum laborem, non recusaret. Quod peragenti quum fieri non posset, quin me quoque castigandi materia offerretur, ego quæ ea de re ad me scripsit, extremo libro addi iussi tamquam ornamenta.

DE

CHOERILI SAMII

AETATE VITA ET POESI

ALIISQUE CHOERILIS

DISSERTATIO.

CAPUT I.

Choerilus Atheniensis Tragicus.

Choerili Samii in poesi Græcorum epica insignes fuerunt partes. Quo magis dolendum est, nec versuum eius satis superesse, neque aliorum scriptorum tam clara testimonia, vt hominem inde, et qualis eius fuerit poesis, accuratius cognoscamus. Sed quid adminiculis illis, quæ quidem suppeditauerit antiquitas, effici possit, animus est experiri. De Choerilo Samio qui dixerint, nunc sufficit laudare Suidam, Eudociam, Hesychium Milesium; ex recentioribus, G. J. Vossium de poetis gr. cap. V. ad Olymp. LXXV. pag. 206. tom. III. ed. Amstel. de historicis gr. lib. IV. cap. VII. pag. 203. tom. IV. et Fabric. Bibl. gr. vol. II. p. 292. sq. ed. Harles. Alii suo loco a me laudabuntur.

Quæ primaria mihi fuit quæstio, de ætate poetæ, coniunxi eam cum altera, quæ est de aliis eiusdem nominis poetis. Id quod propter illos operæ pretium, propter Choerilum Samium fuit necessarium.

Ac primo sine magno negotio distingui poterunt Choerilus, quem nostrum dicimus, antiquus poeta epicus, Samius, et Choerilus Atheniensis tragicus, antiquissimus huius nominis poeta. De vtroque Fabricius et Harlesius l. l. Choerilus Tragicus, non paullo antiquior Aeschylo, certare coepit Olymp. LXIV. te-

stantibus Suida et Eudocia. Nam dubitatione exemta esse videtur Kusteri ex libro ms. emendatio: *καθεὶς εἰς ἀγῶνας.* Ante Kusterum, etiam in Mediolanensi editione, fuit: *καὶ εἰς ἀγῶνας;* quod et apud ipsam Eudociam legitur, quæ Suidam exscripsit. Eadem vel similis quædam emendatio obuersabatur Casaubono de sat. poesi pag. 159. ed. Par. Choerilum Tragicum Aeschylo priorem diserte statuit auctor vitæ Aeschyli in cod. Oxon. et edit. Robort. pag. 696. ed. Pau. *λογιζέσθω δ' ὅτι χαλεπώτερον ἐπὶ Θέσπιδι ἦν, Φρυνίχῳ τε καὶ Χοιρίλῳ, εἰς τοσόνδε μέγεθος τὴν τραγῳδίαν προσαγαγεῖν, ἢ ἐπὶ Αἰσχύλῳ εἰπόντι εἰς τὴν Σοφοκλέους ἐλθεῖν τελειότητα.* Quæ vbi laudat Stanleius pag. 705. habet: *πολλῷ χαλεπώτερον* et *τὴν τοῦ Σοφοκλέους.* Cum hoc Choerilo Aeschyloque Olympiade LXX. certauit Pratinas, teste Suida in v. *Πρατίνας.* Quod testimonium suo loco inseruit Scaliger descriptioni Olympiadum in thesauro temp. ed. Amstel. p. 318. b. Hinc apud Suidam in v. *Αἰσχύλος,* vbi est: *ἠγωνίζετο δὲ αὐτὸς ἐν τῇ θ' Ὀλυμπιάδι,* restituendum esse numerum *ο',* viderunt alii, atque est ea emendatio certissima. Tum, si Olympiadis LXX. annum accipimus primum, Aeschylus, cuius natalis ponitur Ol. LXIII. 4. annum agebat vicesimum quintum; Choerilus inter annum ætatis versabatur quadragesimum et quinquagesimum, sed quinquagesimo propior. Si quidem posuerimus, Olymp. LXIV. 1. annos natum fuisse Choerilum quinque et viginti. Hæc ita bene conueniunt, atque huc fere redeunt, quæ effecerunt viri docti, iisdem testibus vsi, quos ego posui. Verum vt tam venerabili antiquitati vindicemus et in ipsis initiis artis tragicæ collocemus Choerilum, etiam alia et reconditiora testimonia postulant. Exstat alicubi auctoris nescio cuius, sed antiqui, versus:

ἡνίκα μὲν βασιλεὺς ἦν Χοιρίλος ἐν Σατύροις.

De quo versu quæ pendet inquisitio alia, ad alium locum a me reiecta est. Ex ea hoc præcipiam, in quo

facile quemque assentientem habebo, Choerili nomine in illo versu designari antiquissimam tragoediæ ætatem. Porro tragoediæ primum auctorem, vel potius primum tragoediarum scriptorem facit Choerilum Alexis in Lino apud Athenæum IV. p. 164. C. Versus sunt valde memorabiles. Admonet Herculem Linus:

— βιβλίον
ἐντεῦθεν, ὅ τι βούλει, προσελθὼν γὰρ λάβε,
ἔπειτ' ἀναγνώσει, πάνυ γε διασκοπῶν
ἀπὸ τῶν ἐπιγραμμάτων, ἀτρέμα τε καὶ σχολῇ.
Ὀρφεὺς ἔνεστιν, Ἡσίοδος, τραγῳδία,
Χοίριλος, Ὅμηρος, Ἐπίχαρμος, συγγράμματα
παντοδαπά. δηλώσεις γὰρ οὕτω τὴν φύσιν,
ἐπὶ τί μάλισθ' ὥρμησε.

Priora nullam vitii suspicionem habent. Vid. Schæferi viri celeberrimi Meletemata p. 76. Qui hoc sibi permisissent, vt quinto loco ponerent particulam γάρ, etiam sexto non dubitauerunt ponere. Quippe non tam quærendum est, ad quotum vsque locum differri possit particula γάρ, quam hoc, qualia sint vocabula, quæ præcedant. Hic quidem ὅ τι βούλει quasi per parenthesin dictum est. Vs. 5. Schweighæuserus nescio vnde dedit τραγῳδίαι, et vs. seq. Χοίριλος. Antea legebatur *Χοίριλλος*. Verum quem hic versus spondeum habet in quarto pede, non immerito offensioni fuit viris præclarissimis. Verborum ordinem mutandum esse coniecerunt Iacobsius in Addit. animaduers. p. 103. sq. et olim Porsonus Aduers. pag. 63. Porsonus et nimis violenter egit, et poetas partim nimis diligenter dispositos, partim nimis negligenter exhibuit. Hoc etiam contra Iacobsium monuerim. *Choerilus* nulla conditione depelli poterit sede sua: hunc enim tamquam *tragoediæ* exemplum posuit Alexis. Omnino hac ratione nihil efficies, quod probabilitatis speciem habeat. Non putidum ac diligentem ordinem in enumerandis poëtis seruauit Alexis, sed aliquem tamen ordinem. Qui nunc

optimus est apud Athenæum. Antiquissimos quosque laudat. Primus nominatur Orpheus. Orpheo adiungitur Hesiodus, et poeseos argumento et ætate, vt multi iudicauerunt, antiquissimis vatibus, Musæo Orpheoque, propior, quam Homerus. Sequitur Tragoedia, et primus tragoediæ scriptor, Choerilus Atheniensis. Ad tragoediam additur Homerus. Homerum post Orpheum, Musæum, et Hesiodum, vltimo loco ponit Aristophanes in Ranis v. 1066. Agmen claudit Comoedia, et primus comoediæ auctor, Epicharmus. Primum auctorem dico, qui primus comoediam scripserit. Qua ratione tragicis poetis adnumeretur Homerus, nota res est. Apposite Plato in Theæteto pag. 152. E. *καὶ τῶν ποιητῶν οἱ ἄκροι τῆς ποιήσεως ἑκατέρας· κωμῳδίας μὲν Ἐπίχαρμος· τραγῳδίας δὲ Ὅμηρος.* Alia coniectura, sed de qua non habeo quod dicam, Alexidis versum sextum tentauit Erfurdius. Quod didici ex Meinekii Curis criticis pag. 20. Pro *Epicharmo* ille substituit *Aeschylum*. Quod qua auctoritate fecerit Erfurdius nescio. Nam certe non sine auctoritate fecit. Si eiiciendus esset Epicharmus, ego pæne præferrem *Phrynichum*. Mihi, quo diutius versaui Alexidis versus, et quo sæpius emendationem tentaui, quæ quidem in promptu est, eaque non nimis audax, eo visum est certius, aut nihil hic vitii esse, aut perparuum. Quid si Alexis scripserit *Ἐπίχραμος?* Hoc vero nomini sonabat simillime, et excusabat licentiam tantus nominum propriorum concursus. Sana sunt postrema. Hercules, qui arreptum Simi libellum cupide percurrere coeperat, mirabundus exclamat:

βούλιμός ἐσθ᾽ ἄνθρωπος·

tum ad Lini verba, quæ non bene perceperat, sed quæ tamen in Simi inuidiam dicta esse animaduerterat, respondet: *ὅ τι βούλει, λέγε* etc.

Choerilum quod attinet, clara et certa est Alexidis sententia, et tam consentanea antea disputatis, vt

ab hoc quasi fundamento egredi et vlteriora persequi liceat. Ac statim in suspicionem erroris veniunt, qui cum Choerilo Sophoclem certasse tradunt, scholiastes Aristophanis ad Pacem v. 73. et auctor vitæ Sophoclis. Quis enim est, qui sibi persuadeat, Choerilum octogenarium cum Sophocle certasse; Choerilum præsertim, cuius tum gloria, quæ olim fuisset, præ Aeschylea arte dudum euanuisset? Ne autem nimis seuerum habeatur, duos testes mendacii arguere, obseruandum est, vnum tantum, si res accurate spectetur, testem esse. Alter alterum exscripsit. Res clara, quicumque scholiastam Aristophanis cum vita Sophoclis comparauerit. Non solum ea, quæ de Sophoclis cum Choerilo certamine habet scholiastes, simillima sunt iis, quæ in vita scripta leguntur, sed etiam proxime apud scholiastam præcedentia de Sophocle et Iophonte totidem verbis leguntur in vita. Exscripsit autem scholiastes vitam. Scholiastes: *οὐ μόνον δὲ Χοιρίλῳ καὶ τοῖς περὶ Αἰσχύλον καὶ Εὐριπίδην, ἀλλὰ καὶ Ἰοφῶντι συνηγωνίσατο τῷ υἱῷ.* Vita paullo plenius: *συνηγωνίζετο δὲ Αἰσχύλῳ καὶ Εὐριπίδῃ, καὶ Χοιρίλῳ, καὶ Ἀριστίᾳ, καὶ ἄλλοις, καὶ Ἰοφῶντι τῷ υἱῷ.* Apparet, quæ auctor vitæ pro suo consilio in vniuersum scripsisset, ab scholiasta Aristophanis ita deflexa esse, vt suo illa consilio accommodaret, qui de Iophonte maxime dicturus esset. Cæterum nolim asseuerare, scholiastam prorsus eam ipsam vitam, quam nunc tenemus, ante oculos habuisse. In hac igitur, modo remoueas Choerilum, recte habent, quæ ad Aeschylum, Euripidem, Aristiam, Iophontem pertinent. Atque eo ordine enumeratos vides poetas, quo vixisse probabile est: primum Aeschylum; deinde Sophocle posteriores, Euripidem, Aristiam, Pratinæ filium, de quo v. Toup. in Suidam epist. crit. pag. 50. sqq. ed. Lips. denique Iophontem. Errauit autem, vt monui, quicumque Choerilum cum Sophocle certasse primus tradidit; potuitque hac in re eo errari facilius, quo ob-

scuriorem Choerili Tragici, hominis valde antiqui, historiam fuisse patet. Itaque accidere potuit, vt aliquis, qui cum Choerilo Aeschylum, et cum Aeschylo Sophoclem certasse nosset, hinc etiam Sophoclem cum Choerilo certasse colligeret. Potuit præsertim ei accidere, qui septemdecim tantum annis iuniorem Aeschylo crederet Sophoclem.

Dixi hoc accidere potuisse. Enimuero euidentior quædam ratio suppetit, qua illius erroris caussam primamque originem explicemus. Namque reuera Sophoclis quoddam cum Choerilo certamen fuit. Suidas in v. *Σοφοκλῆς: ἔγραψεν ἐλεγείαν τε, καὶ παιᾶνας, καὶ λόγον καταλογάδην περὶ τοῦ χοροῦ, πρὸς Θέσπιν καὶ Χοιρίλον* (legitur *Χοίριλον*) *ἀγωνιζόμενος. καταλογάδην* cum Eudocia agnoscit codex Suidæ Lugduno-Batauus, ex quo lectionis varietatem suo cuidam Suidæ Kusteriani exemplari inseruit Iacobus Gronouius. Hoc exemplar penes Augustum Seidlerum est, cuius amicitia per multos annos gauisus sum, nunc consuetudine quoque post longum temporis spatium instaurata gaudeo. Idem codex male: *ἀγωνιζόμενον.* Contrario vitio peccat liber ms. Kusteri: *καὶ Χοίριλος ἀγωνιζόμενος.* Tam plana et luculenta Suidæ sententia turbas peperit Kustero. Quas tantum dimidia ex parte composuit Fabricius in bibl. græca vol. II. p. 215. Harles. Contra Thespin et Choerilum dudum defunctos scripserat Sophocles. Ad excusandam virorum doctorum perturbationem hoc facit, quod etiam antiquioribus hominibus fraudi fuit Suidæ locus. Nimirum ex hac Suidæ narratione fluxisse videtur error ille, quem scholiastæ Aristophanis communicauit vitæ Sophoclis auctor. Qui quum legisset illud: *πρὸς Θέσπιν καὶ Χοιρίλον ἀγωνιζόμενος,* ambiguitate dictionis deceptus, inde hoc effecit, Sophoclem tragico certamine certasse, *συναγωνίσασθαι,* cum Choerilo. *Thespin* omisit, quem intelligeret non potuisse certare cum Sophocle. Legerat autem illud non apud Suidam, sed apud antiquiorem

auctorem, ex quo habet Suidas. Quæ præcedunt apud Suidam, ita concepta fuerunt in Gronouii libro: ἦρξε τὸ δρᾶμα π.δ. ἀγωνίζεσθαι ἀλλὰ μὴ στρατολογεῖσθαι. Id est, τετραλογεῖσθαι: quæ lectio exquisitior est vulgata. Sed ferri poterit vulgata, si præpositio restituatur: διὰ τετραλογίαν. Tum codex pergit: καὶ ἔγραψεν ἐλεγείαν etc.

Hieronymus in chronicis Eusebianis ad Olymp. LXXIV. *Choerilus et Phrynichus illustres habentur.* Vbi in numero et verbis cum Scaligero consentiunt vetustiores libri, quos ego contuli, Veneta a. 1483. quam impressit Erhardus Ratdolt Augustensis, maxima cura plurimis vndique comparatis exemplaribus, vt affirmatur in fine libri, et quæ ex hac Radolti expressa est, Parisina per Henricum Stephanum a. 1512. Georgius Syncellus in chronographia pag. 202. E. ed. Ven. pag. 254. Paris. Χοίριλλος καὶ Προύνικος ἐγνωρίζοντο. vbi Iac. Goarius in emendationibus pag. 60. *Phrinicum* scribi ab Eusebio animaduertit, et Φρίνικος in margine adscribi curauit. Scaliger, apud quem ista leguntur inter græca Eusebii pag. 54. Χοιρίλος edidit, et in notis p. 420. pro Προύνικος ex latinis Hieronymi Φρύνιχος legi iubet. Recte vtrumque: cf. Schurzfleischium loco statim laudando. Nisi forte Προύνικος ferendum sit in Syncello, antiquorum illorum nominum ignaro. Ac sane vtrumque nomen, et Choerili et Phrynichi, multis modis deprauatum in Hieronymi chronicis. Veneta Radolti et Parisina 1512. *Cherilus et Phrinicus. Phrynicus* ipsa Roncallii editio. Adde codicum Palatinorum monstra, *Cyrillus et Frynicus, Cherulus, Choralus,* in H. L. Schurzfleischii notitia bibl. princ. Vinar. pag. 259. Choerilum epicum poetam non intelligi ab Eusebio, mox certum fiet. Qui si forte natus, certe non illustris dici poterat Olymp. LXXIV. Intelligi tamen putauit, præter Torrentium ad Horatium, Scaliger in animaduers. pag. 101. Quem in eo sequutus est, quod nollem factum, Dan. Heinsius de sat. Horat. pag. 268. Vtique

recte Schurzfleischius: *Intelligitur Choerilus Tragicus.* Etenim hic non solum cum Aeschylo, sed etiam cum Phrynicho componi potest, nempe cum illo Phrynicho, vnico tragico, qui primum vicit Olymp. LXVII. neque ante Ol. LXXV. exeuntem fabulas docere desiit: vt demonstrauit Bentleius in resp. ad Boyl. p. 286. sqq. Lips.

Cæterum Choerilum Tragicum, si rationes instituantur, eo, quod Eusebius indicat, tempore, Olymp. LXXIV. 2. iam senuisse liquet. Et Phrynichi quoque flos paullo supra Ol. LXXIV. remouendus est. Ita vt, si florem et vigorem utriusque poetæ indicare voluisset Eusebius, remotiori eos anno adscribere debuisset. Verum hoc credimus Eusebio, Olympiade LXXIV. vt Phrynichum, ita et Choerilum superstitem fuisse et quadam celebritate illustrem.

De Choerilo Tragico Gyraldus de poet. hist. dial. VI. pag. 249. tom. II. ed. Bas. quædam ex Suida, perturbate alia ex coniectura prodidit. Veluti hoc statim falsissimum est, quod Choerilum Tragicum apud Stephanum Byzantinum dicit Iassæum vocari. Quædam Sam. Petitus in Obseruat. lib. II. cap. II. pag. 169. sq. vsus Suidæ locis in v. *Χοιρίλλος* et in v. *Πρατίνας*, et Eusebio: nam de tragico poeta loqui Eusebium in chronicis, iam ante Schurzfleischium vidit Petitus. Suidæ locum illum ita legit Petitus: *Χοιρίλλος, Ἀθηναῖος Τραγικὸς, ξδ' Ὀλυμπιάδι:* securus de iis quæ sequuntur, *καὶ εἰς ἀγῶνας.* Hinc Choerilum inclaruisse scribit Olympiade LXIV. Quem sequutus Corsinus in Fastis Atticis tom. III. pag. 120. Choerilum Olympiade LXIV. floruisse tradit. Non prorsus diligenter. Eum illa Olympiade in certamina descendisse recte dicit Laurentius Crassus in historia poetarum gr. italice scripta, pag. 110. Sed idem paullo post ex Patricio et alia parum accurate et hoc tradit, Choerilum floruisse circa Olymp. LXXV. Quod ex Eusebii loco fluxisse videtur. At Eusebius Olympia-

dem LXXIV. indicat, non LXXV. Nec floruit ea Olympiade Choerilus, sed, quod paullo ante significabam, tum iam senuit.

Quod Harlesius in bibl. græca hunc Choerilum Atheniensibus iucundum fuisse scripsit ita, vt sub illo primum exstruerent theatrum, scripsit id inductus a Barnesio tract. de tragoedia vet. Gr. cap. III. Nihil ea de re Suidas in v. *Πρατίνας*. Qui quum tabulata, Pratina docente, lapsa esse narret, credibile quidem est, hoc illa ipsa die accidisse, qua cum Aeschylo et Pratina certaret Choerilus: sed illud nec Suidas, neque alius quispiam prodidit, propter Choerilum, et in gratiam Choerili exstructum fuisse theatrum. Deinde quæ apud Suidam in v. *Χοιρίλλος*, itemque apud Eudociam leguntur, *καὶ τῇ σκηνῇ τῶν στολῶν ἐπεχείρησε*, fraudem fecerunt et Gyraldo et Patricio, ex quo Crassus l. l. scribit, Choerilum primum scenæ forma accommodata tragoediæ, et inde tragica dicta, vsum esse. Id non inest in Suidæ verbis. Præterea ea verba de mendo suspecta sunt. Equidem quum sciam, defendi posse *σκηνῇ*, tamen prætulerim facilem Kusteri emendationem: *καὶ τῇ σκευῇ τῶν στολῶν*. Eudociam non moramur, cuius dubia est ad tuendum Suidam auctoritas. Suidæ codice non optimo vsa est Eudocia.

Porro prorsus inani coniectura Barnesius l. l. hunc Choerilum eius, de quo statim dicturus sum, patrem fuisse opinatus est.

Res in tragoedia nouas Choerilo tribuit Suidas, et cum Suida Eudocia: *οὗτος κατά τινας τοῖς προσωπείοις καὶ τῇ σκευῇ τῶν στολῶν ἐπεχείρησεν*. Res talis est, vt negare nefas sit; affirmare imprudentis: credere licet. In fabularum numero differunt Suidæ libri. Editum est: *πεντήκοντα καὶ ρ´*, etiam in Mediolanensi. At Kusterus affirmat, libros mss. omnes habere *ἑξήκοντα καὶ ρ´*. Gronouii ille liber non integer fuit: incipit in media littera *Α*. et litteræ *Χ*. tantum initium habet vsque ad v. *Χαλ-*

θαϊκοῖς. Verum non sine codicibus illud ediderunt Mediolanenses, et est πεντήκοντα apud Eudociam. Deinde Eudocia: ἐνίκησε δὲ ϱ', manifesto errore, quem iam castigauit Harlesius. Probabilius Suidas: ἐνίκησε δὲ ιγ'. Vnde corrigenda est Eudocia. Qui ex Suida CL fabulas dat Choerilo, Casaubonus de sat. Gr. poesi p. 166. in earum numero saltem aliquas fuisse satyricas non dubitat. Dubitet tamen aliquis, quum Choerilus, vt videtur, prior fuerit Pratina, Pratinas autem, quod scimus, primus satyrica, id est, cultioris generis satyrica, ediderit. Paucis hanc rem complectar. Fuit Choerilus, si non primus, at ex primis tamen siue discipulis siue imitatoribus Thespidis. In eius fabulis quædam fuerunt, quæ tragoediæ nomine dignæ haberentur. Vnde Tragicus dictus est. Vnam alteramque scriptam exstitisse olim, non iniuria argumentemur ex Alexidis versibus. Vnam, Alopen, commemorat Pausanias I. pag. 34. Atque hæ potissimum fuisse videntur, quibus vicerit Choerilus. Quamquam, si Suidas Choerilum Ol. LXIV. in certamina descendisse, atque eumdem terdecies vicisse scribit, cauendum est, ne certamina illa, quæ cum Choerilo Phrynichum inter alios habuisse putabimus, tam grauia, tamque legitimo ordine ac ritu instituta, aut victoriam tam splendidam fuisse existimes, quam quæ proxima ætas vidit, Aeschylo et Sophocle florentibus, certamina et victorias. At longe plurimæ Choerili fabulæ nec scriptæ nec iustæ tragoediæ nomine dignæ, sed magis satyricæ fuerunt: non ex eo genere, quod vere satyricum dicitur, a Pratina inuentum, sed ex illo, quo Thespis tragoediam præparauerat. An forte serius et Pratinam imitatus etiam ad eam satyricam, quæ Pratinæ inuentio, appulerit animum Choerilus, id nemo pro certo affirmet. Illas igitur Choerili fabulas, quas dixi, maximam partem rudes et ex tempore factas, si omnes in numerum redegit auctor ille, quem sequutus est Suidas, centum et

quinquaginta vel sexaginta non videbuntur esse nimium. Rudem tragoediæ Choerileæ formam respexit poeta ille, quisquis fuit, qui hunc versum fecit:

ἡνίκα μὲν βασιλεὺς ἦν Χοιρίλος ἐν Σατύροις.

Hæc diu scripta fuerunt, quum accepi Hermanni de choro Eumenidum Aeschyli dissertationes. Qui de tabulatorum illo lapsu disputauit vberius, et quem obiter attigi, auctoris vitæ errorem, qui septemdecim annorum interuallum posuerit inter Aeschylum et Sophoclem, eum errorem ingeniose correxit et explicuit. Qui autem ad Choerilum spectant, vitæ Sophoclis et scholiastæ Aristophanis loci, eos commemorauit quidem vir celeberrimus pag. XVIII. sed alio consilio.

Vt Scaliger ad Choerilum epicum poetam retulit Eusebii locum, quem debebat ad Choerilum tragicum, ita iam antiquis scriptoribus accidit, vt Choerilos inter se confunderent. Cuius rei videbimus exempla. Ex quibus vnum hic attingendum est, scholiastæ Aristotelis, pro Choerilo epico ponentis tragicum poetam. Adscripsi verba ad Choerili fragmentum primum.

CAPUT II.

Panyasis. De ætate Choerili Samii diuersa et secum pugnantia tradere Suidam.

Iam de Choerili, antiqui poetæ epici, ætate proponam, quod post diuturnam meditationem, veterum scriptorum testimoniis non semel collatis inter se et perpensis, persuasum habeo. In qua disputatione id maxime vereor, ne quis singula captans, dubitationes moueat et obiectationes, quæ per se speciosæ totam quæstionem denuo implicent. Itaque tales antequam proferat aliquis, cogitet, an forte eædem mihi quoque subortæ, sed seuera contemplatione adhibita, compositæ fuerint ac remotæ. Dubitandi finis is est, vt non amplius dubitemus. Sed omnino longe difficilius est opinionem proponere, quam contra propositam dubitationem mouere. Cæterum quum res paucissimis testibus agatur, et his quoque parum largis, lex disquisitionis primaria hæc fuit, vt quam cautissime versaremur, nec pauca illa, quæ traduntur, temere et sine necessitate labefactaremus. Fidem scriptorum imminuere facile, sed si non habes, vnde certiora substituas, periculosissimum est.

Choerilum Samium, vel secundum nonnullos Iasensem, vel secundum alios Halicarnassensem, Suidas tradit *γενέσθαι κατὰ Πανύασιν τοῖς χρόνοις· ἐπὶ δὲ τῶν Περσικῶν, ὀλυμπιάδι οέ, νεανίσκον ἤδη εἶναι.* Eudocia nonnisi hæc: *γέγονε δὲ κατὰ Πανύασιν τοῖς χρόνοις.*

Dicetur primo de Panyasi. Panyasis, qui et ipse dubium, Samiusne, an Halicarnassensis, an aliunde

fuerit, *γέγονε κατὰ τὴν οη' ὀλυμπιάδα*, vel, *κατά τινας, πολλῷ πρεσβύτερος. γέγονε γὰρ ἐπὶ τῶν Περσικῶν.* Vide Suidam, Eudociam, Vossium de hist. gr. IV. VI. et eumdem de poetis gr. cap. V. ad Ol. LXXII. et ad Ol. LXXVIII. et Bibl. gr. Harles. vol. I. p. 754. Vere autem iudicasse eos, qui supra Olympiadem LXXVIII. assurgere facerent Panyasin, non vna ratio euincit. Placet rem exponere, quum ex recentioribus plerique, contrariam rationem sequuti, Panyasin Olympiadi LXXVIII. assignent: v. c. Heynius ad Apollodorum p. 991. Schellenbergius in Antimachi Reliqq. pag. 9. qui vellem ad Suidam potius quam ad descriptionem istam Olympiadum prouocasset. adde Harles. l. l. cuius tamen mentem non prorsus perspicio. Quibus omnibus id quidem lubenter concedimus, vixisse Panyasin Ol. LXXVIII. sed iidem florem eius priorem, at multis annis priorem ponimus. Non vna, vt dixi, ratione. Primum, quod Suidas, vel ex sua, vel ex quorumdam, *τινῶν*, sententia, diserte addit, Panyasin *γεγονέναι ἐπὶ τῶν Περσικῶν.* Deinde ex iis, quæ Suidas de cognatione inter Panyasin Herodotumque tradit, etsi nihil certi de cognatione illa, at hoc tamen, quod Panyasin quidam Herodoti auunculum tradiderunt, patrocinatur ei sententiæ, quæ *multo antiquiorem, πολλῷ πρεσβύτερον,* faciebat Panyasin. Adde, quod Herodotus testimonium edidit de Panyasi, teste Suida. Denique Suidas ipse ea, quæ vidimus, de Choerili ætate scribere non potuisset, nisi tum Panyasin satis longe ante Olympiadem LXXVIII. fuisse credidisset, quum credibile non sit, Suidam ad definiendam Choerili ætatem, eum commemorasse, quem ipse Choerilo multis annis minorem habuerit. Secundum hæc omnia apparet, Suidam, quum ista scriberet, *γέγονε γὰρ ἐπὶ τῶν Περσικῶν,* cogitasse aut cogitare debuisse de primo Persarum contra Græcos bello, quod Darius suscepit. Sic demum *πολλῷ πρεσβύτερος*, quam ex eorum sententia, qui Ol. LXXVIII. fuisse dicebant,

fiet Panyasis. Quod et confirmat, immo, quod efflagitat Eusebii vel potius Hieronymi auctoritas, quam nescio cur non sequamur, nisi grauiora obloquantur. Chronica Hieronymi igitur ad Olymp. LXXII. annum 4. hæc habent: *Panyasis poeta habetur illustris.* Consentiunt in his cum Scaligero, quas commemoraui, editiones, Veneta Radolti et Parisina. Georgius Syncellus pag. 198. B. ed. Ven. *Πανοίας ποιητὴς ἐγνωρίζετο.* vbi *Πανίασος* restitui vult Jac. Goarius. Male. Nisi hic quoque Syncellus antiquum et sibi ignotum nomen corruperit. Scaliger, apud quem hæc inter græca Eusebii pag. 55. tacite correxit *Πανύασις.* In quo nomine Hieronymi exemplaria, quantum sciam, consentiunt. Alibi in nomine *Πανύασις* aberrarunt librarii. Ex schol. Apollonii IV. 1149. Vossius de hist. gr. IV. VI. laudat: *Πανίασσις.* Quo loco nunc post Stephanum *Πανύασις* legitur, et in schol. Paris. *Πάντασις.* Non notaturus fuissem rem tam leuem, nisi locus aliam ob rem memorandus esset. Nimirum quum in vulgatis scholiis Stephani editio, et quæ eam sequutæ, habeant: *Πανύασις δέ φησιν ἐν Λυδίᾳ, νοστήσαντα Ἡρακλέα* — inde auctor indicis a Fabricio editi exsculpsit carmen, quo nomine nullum vsquam scripsit Panyasis, Lydiam. Repetiit errorem Harlesius l. l. V. 1. p. 754. Melius est, quod apud Vossium l. l. commate post *φησιν* interpunctum est. Sed verum cod. Paris. præbuit: *Π. δέ φησιν, Ἡρακλέα νοσήσαντα ἐν Λυδίᾳ τυχεῖν.* Fragmentum ad Heracleam referendum esse, vidit iam Vossius. Cæterum qui ex Georgio Syncello annum Panyasidis colligere vellet, frustra foret. In serie rerum ordinem annorum non anxie seruat homo ille. Tempus ab Hieronymo siue ab Eusebio assignatum conuenire cum Suidæ testimonio, ipse Scaliger animaduertit, in Euseb. pag. 100. Ac conuenit, si de Suidæ testimonio ita statuas, vti nos statuimus. Quamquam ex Suidæ verbis non sequitur necessario, quod traditur ab Eusebio, Olympiade LXXII. exeunte iam illustrem fuisse

Panyasin. Id tamen non prorsus incredibile. A vero fortasse aberrabit proxime, qui Panyasin Olympiade LXXII. annum egisse posuerit tricesimum. Quæ via inter diuersas sententias medium tenet, et vtramque conciliat. Panyasin sic potuit vnus Olympiadi LXXII. asserere, alter Olympiadi LXXVIII.

Hinc quid efficiatur ad definiendam Choerili ætatem, statim apparebit. Attamen antequam deseramus Panyasin, Suidæ locum, quem adhibui, illustratum dabo collatione codicis Lugduno-Bataui. Qui liber quum in ea re, quæ nobis primaria fuit, nihil differat a vulgato Suida, tamen alia quædam singularia habet, quæ si quidem in publicum proponere per Seidleri beneuolentiam licet, negligentia foret, si non proponerem. Difficile autem fuit signa, quibus hoc loco vsus est Gronouius, quæ signa partim sibi repugnant, interpretari, et quid codex habuerit, inde diuinare. Quod coniuncta opera ego et Seidlerus extudimus, hoc est. Priora, *Πανύασις Πολυάρχου* vsque ad vocabulum *ἀδελφοῦ*, eodem fere modo scripta habuit codex, quo vulgo scripta leguntur. In codice fuit: *ἀνήγαγε* — *ὁμοίως καὶ* — et quod paullo grauius, *Ξύλου*, non *Λύξου*. Mox quæ sequuntur, *τινὲς δὲ* — *ἱστόρησαν*, desunt in codice, qui post vocabulum *ἀδελφοῦ* ita pergit: *Πανύασις δὲ ἀνῃρέθη ὑπὸ Λυγδάμιδος τοῦ τρίτου τυραννήσαντος Ἁλικαρνασοῦ. ἐν δὲ ποιηταῖς τάττεται μεθ᾽ Ὅμηρον. ἔγραψεν Ἡρακλειάδα καὶ Ἰωνικὰ καὶ τὰ περὶ Κόδρον καὶ Νήλεα καὶ τὰς Ἰωνικὰς ἀποικίας εἰς ἔπη ζ. ὁ δὲ Πανύασις οὗτος γέγονε κατὰ τὴν οή ὀλυμπιάδα. κατὰ δέ τινας πολλῷ πρεσβύτερος. γέγονε γὰρ ἐπὶ τῶν Περσικῶν.* Vides ordinem verborum alium esse, quam vulgo est, et quædam deesse, quæ leguntur in vulgatis Suidæ libris. Vt omnino hic liber valde memorabilis est propter ea, quæ non habet. Quod et Seidlerus me monuit, et ipse alibi exemplo probaturus sum. Desunt hæc: *τινὲς δὲ οὐ Λύξην, ἀλλὰ Ῥοιὼ τὴν μητέρα Ἡροδότου, Πανυάσιδος ἀδελφὴν ἱστόρησαν.* Quæ sane, vt nunc legun-

tur, non bene cohærent cum præcedentibus. Sunt ea tamen ex antiquo fonte ducta, et egregie concinunt cum eorum sententia, quos Suidas Panyasin multo Olympiade LXXVIII. priorem fecisse dicit. Quam sententiam qui fecimus nostram, multo id probabilius habebimus, auunculum Herodoti fuisse Panyasin, quam patruelem. Ita bene inter se coeunt, quæ de Panyasidis nece et Herodoti ex patria discessu habet Suidas. Quum Panyasis, senex quippe, nam multa scripserat, interemtus fuisset, Herodotus iuuenis, auunculi sortem metuens, Halicarnasso abiit. Deinde a codice Gronouii abfuerunt hæc: *κατὰ δέ τινας καὶ μετ᾽ Ἡσίοδον καὶ Ἀντίμαχον.* Atque hæc quod desint, pæne laudauerim. Hesiodus quidem vt in hac re commemoraretur, nulla necessitas fuit. Scilicet non dubito, quin Hesiodus statim post Homerum positus fuerit in canone Alexandrinorum. Verum Hesiodea poesis talis fuit, quod et Quinctilianus significauit, vt præteriri posset Hesiodus, vbi cum Homero compararentur Pisander, Panyasis, Antimachus. Antimachum quod attinet, licet demonstrari possit ex Quinctiliano, fuisse qui Antimachum præferrent Panyasidi, fuit tamen ea sententia magis singulorum et priuata, quam publica. In canone hanc obseruarunt legem, vt qui recepti essent scriptores, in suo genere quisque, secundum temporum seriem insererentur et enumerarentur. Quæ quum ita sint, inter Homerum et Panyasin, præter Hesiodum, vnus interfuit Pisander, sed quem hoc loco prætermisit Suidas, vt minus notum. Denique, vbi Panyasidis opera recenset Suidas, verba, *ἐν πενταμέτρῳ*, desunt Gronouii codici. At eidem in hac operum recensione desunt alia quædam, quæ efficiunt, vt hactenus præferenda esse videantur vulgata Suidæ exemplaria. Non alia autem Suidæ exemplaria, quam quæ vulgata dico, ante oculos fuerunt Eudociæ.

Igitur Panyasis Herodotum, cuius natalis figitur

Ol. LXXIV. 1. multis annis prægressus est. Choerilus autem, qui teste Suida adolescens, *νεανίσκος*, fuit Ol. LXXV. *ἐπὶ τῶν Περσικῶν*, id est, eo tempore, quo Græciam inuasit Xerxes, quam expeditionem in Ol. LXXV. 1. incidere, constat, ab eodem Suida optime dicitur *γενέσθαι κατὰ Πανύασιν τοῖς χρόνοις*. Hoc tantum dubium, quanto Panyasi posterior fuerit Choerilus. Nam posterior fuit.

Verum his, quæ de Choerili ætate disputata sunt, Suida duce, apte et conuenienter, non leuem difficultatem obiiciunt ea, quæ de Choerilo, eiusque vitæ ratione et cum Herodoto commercio subiicit Suidas. Quum Choerilus, Olympiade LXXV. adolescens, *νεανίσκος*, Herodoto octo aut decem, si non pluribus, annis maior fuerit, quomodo idem Herodoti discipulus siue auditor et deliciæ, *παιδικά*, fuisse potest? Sunt hæc primo statim adspectu tam discrepantia, vt facile aliquis narrationes iam antiquitus diuersas exstitisse coniecerit: vnam eorum, qui Choerilum Olympiade LXXV. iam adolescentem, itaque Herodoto priorem, alteram eorum, qui Herodoto minorem, adeoque Olympiade LXXV. vel nondum natum vel vix natum fuisse crederent: quas Suidas in vnam narrationem conflauerit. Sed vt hoc ita fuerit, nihil iuuamur: quæstio oritur non minus impedita, vtra ex ambabus narrationibus vera fuerit. Præterea nullum est apud Suidam indicium, quod coniecturam illam adiuuet. Qui patriam quidem quod attinet, dissensionem auctorum notat, sed reliqua vno tenore enarrat. Itaque duplex datur via. Aut ea, quæ Suidas de Choerili Herodotique commercio narrat, concilianda sunt cum illis, quæ idem de ætate Choerili. Aut alterutrum falsum est: vel illud, quod de ætate Choerili tradit Suidas, vel hoc, quod Choerilum Herodoti auditorem et delicias fuisse narrat.

Iam primo loco videamus, an Suidas secum ipso possit conciliari. Qui quod Herodoti discipulum siue

auditorem fuisse Choerilum dicit, etsi ita fert natura rei, vt discipuli magistris iuniores sint, potest tamen et contraria ratio fingi, et nonnumquam accidit, vt aliquis, sero litteris imbutus, hominis iunioris quidem, sed eruditioris, discipulus factus fuerit. Præsertim si verum est, quod scribit Suidas, seruili conditione fuisse Choerilum. At enimuero in re incerta non ex eo, quod fieri potuerit, sed ex eo, quod factum fuisse verisimile est, coniecturam facere debemus. Quicumque audierit, Choerilum Herodoti discipulum siue auditorem fuisse, illum Herodoto iuniorem fuisse credet. Id autem manifesto repugnat iis, quæ dixerat Suidas, Choerilum Ol. LXXV. adolescentem fuisse. Multo etiam magis repugnat id, quod additur a Suida, delicias Herodoti fuisse Choerilum. Qui Ol. LXXV. adolescens fuerit, is amasius, *ἐραστής*, potuit, *παιδικὰ* non potuit esse Herodoti.

CAPUT III.

Choerili Samii quae fuerit aetas.

Itaque aliquid erratum est a Suida, siue ab eo, quem exscripsit Suidas. Id tantum quaeritur, vtrum in illo sit error, quod Choerilum Olympiade LXXV. iam adolevisse ille affirmauerit, an in hoc, quod eumdem Herodoti auditorem et delicias fecerit.

Illud differo. Nunc eum locum, qui est de Choerilo Herodoti auditore et deliciis, dispiciamus, an probabili ratione labefactari atque eleuari possit. Est autem non vna ratio, sed plures, eaeque tam speciosae, vt me quoque aliquantisper dubium tenuerint. Quare non supervacaneum videtur, in his aliquantulum morari. Singula notabo. Primo loco illud ipsum, quod Herodoti discipulus fuisse, vel certe, quod Herodoti auditione ad litteras impulsus esse narratur Choerilus. Grammatici, nec Suidas solum, sed etiam praestantiores, antiquissimum habent, hominum inclytorum enumerare, si qua possint exquirere, magistros. Nimirum, quum ipsis res esset longe grauissima, vnde vel ipsi vel alii grammatici suam qualemcumque eruditionem accepissent, ex sua conditione metiebantur viros antiquos. Sane, si qua alibi, in Graecia, etiam antiqua, hunc morem obseruatum videmus, vt quaeuis disciplina per scholas et viua voce propagaretur: sed in eo errare solent grammatici, quod hominibus inclytis magistros quaerunt quam maxime inclytos, et sine magistro esse vix vllum

patiuntur. Ita nonnumquam factum est, vt magistros et discipulos dixerint eos, inter quos illud doctrinæ commercium fuisse vel non probabile est, vel esse non potuisse demonstrari potest. Sic, vt exemplis vtar notissimis, Euripidem quidam Socratis discipulum fecerunt: v. Suidam in v. *Εὐριπίδης*. Socratem quidam Anaxagoræ: quidam Archelai Physici, cuius et deliciæ fuisse, prorsus vt Choerilus Herodoti, dicitur, sed sine crimine, vt aliquis, Porphyrius, affirmat; quidam Damonis; alii aliorum: v. Diog. Laert. in Socrate init. ibique Menag. In quibus ambigas, imperitiamne grammaticorum accuses, an malam fidem. Nam quod Euripidem Socratis discipulum faciunt, falsum est; quod Socratem Anaxagoræ, incertum; cæteris, qui enumerantur, Socratem assedisse omnibus, nemo facile crediderit. De vno et altero, res probabilis esse dicatur ac vera; de aliis, dubia ac falsa. Addam tria alia exempla. Arctinus non solum Tzetzæ, in quo homine nihil nimis portentosum, sed etiam Artemoni apud Suidam in v. *Ἀρκτῖνος*, audit *Ὁμήρου μαθητής*. Quod sic prorsus ineptum est. Etsi aliquid veri inesse potest. Suidas mendacii arguit eos, qui Antimachum Panyasidis seruum fuisse dixerint: auditorem fuisse Panyasidis et Stesimbroti. Schellenbergius illam narrationem explodit, hanc pro incerta habet, pag. 9. seq. Bene. Nos etiam magis incertam habebimus, qui Panyasin longius ab Antimacho remouerimus, quam facit Schellenbergius. Empedocles cuius non discipulus fuit? Vide Sturzii Empedoclem pag. 13. sqq. Idem Pausaniæ medici amasius fuit. Quod vt credamus, nam antiquis illud ex testibus refert Diogenes Laertius: num et id credemus, quod Suidas ex Porphyrio illo suo recitat, Parmenidis delicias fuisse Empedoclem? Hac obseruatione ductus si Suidæ de Choerilo Herodoti auditore narrationem in dubitationem voces, neque hoc prætermittes, quod eadem, quæ hic de Choerilo, certe simillima, de Thucydide

traduntur, et ab Suida et ab aliis auctoribus, fide, vt videtur, non indignis. Incitatum fuisse Herodoti auditione. Deinde, quum Suidas, vbi de Herodoto agit, Samum insulam potissimum Herodoto domicilium et studiorum quasi arenam fuisse tradat, hoc mirari subeat, quod idem Suidas Choerilum, e Samo profugum, Herodoto assedisse tradat: φυγεῖν τε ἐκ Σάμου, καὶ Ἡροδότῳ τῷ ἱστορικῷ παρεδρεύσαντι λόγων ἐρασθῆναι. Praeterea nescio, an futurus sit, cui tota ista narratio de Choerilo seruo, profugo, et quae sunt reliqua, iam per se ipsa aliquid fabulosi habere videatur.

Has ego dubitationes in medium proferendas esse duxi, non, acsi graues esse putem et tales, quibus aliquid efficiatur, sed quo appareat, me in eam sententiam, in quam eundum esse putaui, non temere iuisse, sed argumentis vtrimque perpensis. Equidem diu est, quum mihi persuasi, eam, quam adhuc dubitanter tractauimus, Suidae narrationem, si summam rei spectes, veram, contra illud, quod de Choerili aetate praemisit Suidas, adolescentem fuisse Olympiade LXXV. falsum esse. Quae enim apposui, narrationem Suidae de Choerilo, Herodoti discipulo et deliciis, eleuaturus, speciem habent, sed tantum speciem. Sane grammatici nonnumquam siue ex lubidine siue propter errorem viris doctis et poetis magistros affinxerunt, quos illorum magistros fuisse negandum est. Rem demonstraui exemplis. Verum ea ipsa exempla maximam partem talia sunt, vt ab nostro Choerili multum differant. Socrati atque Euripidi mirum quam multi ac diuersi magistri tribuuntur a grammaticis, mirum quam multa ac varia facta et fata affinguntur. Atque in hac magistrorum et factorum fatorumque multitudine grauissima caussa sita est, cur de singulis dubitare incipiamus. De Choerilo autem profugo, et de eius institutione atque Herodoti in eum amore quae narrat Suidas, vnica sunt; eaque in dubitationem vocare ac negare, propter id ipsum periculosum foret,

quoniam vnica sunt. Quod vero innuebam, fore, cui fabulosi aliquid in tota Suidæ narratione inesse videatur, id magis ex consuetudine nostræ ætatis iudicatum est, quam ex conditione antiquorum temporum. Sed nolo iurare in verba Suidæ. Incertum sit, et profecto incertum est, quantum in illa narratione veri insit. An forte hoc etiam, quod Persicum bellum canendum sibi sumpsit Choerilus, fecerit Herodotum respiciens et Herodotum imitatus. Hoc manet, ista omnia, quæ apud Suidam leguntur, fingi non potuisse, nisi tum communis hominum sententia Choerilum Herodoto minorem habuisset. Eam igitur nunc quoque nostram facimus. Hinc sequitur, vt falsum sit, quod dixit Suidas, Choerilum Olympiade LXXV. iam adolescentem fuisse. Quod qui primus scripsit, oblitus esse Choerili cum Herodoto commercium, vel temporum rationem non curasse videtur. Eam non magis curauit Suidas. Caussas erroris primas nemo nunc dispiciet. Potest in carmine Choerili fuisse, vnde colligeretur, poetam tum, quum Græciam inuaderet Xerxes, adoleuisse. Quomodocumque de caussis erroris statuamus, facilius accidere potuit, vt annum adolescentiæ Choerili aliquis falso poneret, quam vt longa de vita Choerili fingeretur et continua narratio, temporum Choerili calculis prorsus aduersa.

Hæc ita disputata sunt, vt fortasse multis de veritate persuaserim. Sed aliquis dubitandi locus relictus est. Quare ad alia procedam argumenta, quibus demonstrem et Herodoto minorem fuisse Choerilum, et quanto minor fuisse putandus sit.

Addit Suidas, obiisse Choerilum in Macedonia apud Archelaum regem. Quæ res dubio caret. Choerilum apud Archelaum vixisse, etiam Athenæus probat, quem infra videbimus, lib. VIII. pag. 345. E.

Euripidem apud Archelaum regem obiisse vulgo constat. Qua de re quæ congesta sunt in Barnesii vita Euripidis et in bibliotheca gr. Harles. ea augeri possunt

Hermesianactis testimonio in præclarissimo fragmento v. 65. 66. Archelaus, vnicus hoc nomine rex Macedonum, nam somniarunt, qui duos Archelaos breui sese sequutos statuunt, a Cratero interfectus, decessit Olympiadis XCV. anno 1. teste Diodoro Sic. XIV. XXXVII. Id nunc accipere solent, et conuenit de hoc anno, ne alios nominem, Scaligero Animaduers. in Euseb. pag. 108. b. et p. 122. d. cum Casaubono in Athen. p. 385. Quod enim hic, obseruante Schweighæusero tom. III. Animaduers. pag. 254. pro anno primo annum dixit secundum, id, nisi erratum est, discrimen est nullius momenti. Regni Archelai initium illi ipsi, quos dixi, Scaliger et Casaubonus, ponebant in Olymp. XCIII. 3. Diodorum sequuti, qui Archelaum regnasse scribit ἔτη ἑπτά. Quod si verum, necesse est, Euripidem, cuius obitus illi ipsi anno, Ol. XCIII. 3. vel quarto eiusdem Olympiadis anno asseritur, apud Archelaum et vixisse et obiisse, quum ille regnare vix coepisset. Idque disertis verbis affirmat Scaliger l. l. p. 108. Tum Choerilum, qui Olympiade LXXV. id quod nunc ponimus, adolescens fuit, hoc est, certe duodecim annis, si non pluribus, Euripide maior, pæne nonagenarium ab Archelao arcessitum fuisse et post Euripidem, certe non ante Euripidem, obiisse necesse est. Hæc omnia talia sunt, vt nemini facile credibilia videantur. Et quid tum, si demonstrari possit, quod fuerunt qui contenderent, iique viri non contemnendi, Euripidem anno iam secundo vel primo Olympiadis XCIII. decessisse? Quare accedendum eorum sententiæ, qui, aliis argumentis moti, Archelao non septem, sed quatuordecim annos assignauerunt. Sunt autem hi, præter Petauium in rationario temp. bene multi: v. quem Schweighæuserus excitat l. l. Wesselingium ad Diod. XIV. XXXVII. t. I. pag. 671. atque nostris temporibus vulgata est ea opinio. Ac Petauius quidem Dexippi auctoritate nititur: vid. græca Eusebii apud Scalig. pag. 57. quem sequutus Georgius

Syncellus etiam ipse pag. 202. D. vel pag. 254. Paris. et apud Scalig. pag. 54. annos dat Archelao quatuordecim. Quid? quod vel ea, quæ Archelao tribuit Thucydides II. C. regnum non septem annorum, sed longius exigunt. Vixit igitur Euripides in Macedonia, vel potuit viuere, per tempus satis longum. His Euripidi prospectum est, Choerilo non item. Qui si Olympiadis LXXV. anno 1. duodecim anncs natus fuisset, quo modo definire volumus *νεανίσκου* ætatem, eo tempore, in quod incidunt Archelai initia, Olymp. XCI. 3. annum acturus fuisset septuagesimum octauum. Vt tam remotam ætatem attigerit Choerilus, res et per se parum probabilis, nec credi potest, senem octogenarium ab Archelao arcessitum fuisse. Sane vixerunt, et viuunt etiamnum, senes octogenarii, iique cruda viridique senectute: at, quod semel monui, in re incerta non ex eo, quod fieri potuerit, coniecturam facere debemus, sed ex eo, quod factum fuisse probabile, et quod fieri soleat. Vt hinc quoque recte colligatur, falsum esse, quod scribit Suidas, Olymp. LXXV. iam adolescentem fuisse Choerilum.

Restat testis grauissimus, qui et confirmet ea, quæ disputaui, et paullo, quam adhuc protuli, accuratiora atque clariora de temporibus Choerili præeat. Plutarchus, vbi de fastu Lysandri et poetarum circa eum celebritate agit, in vita Lys. pag. 443. C. *Choerilum,* inquit, *semper secum habuit.* De quo loco infra longius disputabitur. Nunc ex ea disputatione vnicum occupabo hoc, quod post diligentem et diuturnam disquisitionem asseuerandum esse existimo, Plutarchum de nostro Choerilo, epico poeta, loqui, non de alio. Lysander autem, quod, etiamsi Plutarchi loco id non diserte confirmaretur, quisque sine teste crederet, tum demum, a quibus celebraretur, poetas habuit, quum gloriam suam ad summum euexisset. Iam vero facta ea, quæ Lysandri gloriam condiderunt, victa Alcibiadis classis,

fracti ad Aegos flumen Athenienses, et captæ Athenæ, hæc omnia incidunt in Olympiadem XCIII. Hinc vide, quam longa et vere Pylia senectus accrescat Choerilo nostro, si Olympiade LXXV. νεανίσκος, hoc est, anno eius Olympiadis primo duodecim annos natus fuerit. Lysandrum secum duxisse senem pæne nonaginta annos natum, eumque, quæ verba sunt Plutarchi, ὡς κοσμήσοντα τὰς πράξεις διὰ ποιητικῆς. Deinde, quod hinc sequitur, eumdem Choerilum, nonaginta annos natum, ab Archelao arcessitum fuisse. Hæc credat, qui volet. Sophoclem nonaginta annos vel etiam plus eo natum fato functum esse credimus, quia hoc diserte traditur. Atque hoc decebat virum nonagenarium, mori, in patria sua, tranquilla morte, dum muris minaretur Lysander. Quam in rem suauissime ficta sunt, quæ narrant Plinius et alii, de sepultura, quam, Baccho intercedente, impetrauerit Sophocles ab imperatore Lacedæmoniorum. Sed quod circa idem tempus Choerilus, pariter nonagenarius, turbulenta acerrimi imperatoris castra frequentauerit, deinde Lysandrum cum Archelai contubernio commutaturus: hoc vero fabulam sapit. Quare Plutarchi quoque locus, grauissimo argumento, demonstrat, non potuisse adolescentulum esse Olymp. LXXV. Choerilum.

Nunc, quum abunde declarauerimus, quam ætatem non attigerit Choerilus, breuiter videbimus, quæ vere illius tempora fuerint. Choerilo tribuimus annos plus minus septuaginta. Aetas per se iusta, nec longa nimis, nec iusto breuior. Ponamus autem, quoniam aliquid certi ponendum est, septuaginta, plenum numerum. Igitur Choerilus apud Archelaum obiit, septuaginta annos natus, Olympiadis XCIV. anno 3. quum eodem anno vel præcedente in Macedoniam venisset. Inde sequitur, vt cum Lysandro versatus fuerit Olympiade XCIII. exeunte vel Olympiadis XCIV. initio. Quo ipso tempore Lysander bellica laude fuit cumulatissi-

mus. Annus Ol. XCIV. primus Choerili est sexagesimus octauus. Qua ætate longa quidem carmina non erat cantaturus, sed imperatori vel præsentia sua ornamentum additurus. Ab hoc tempore si assurgas, natum inuenies Choerilum Olymp. LXXVII. 1. Sic Herodoti, quo ille duodecim annis minor esset, commode potest et auditor et deliciæ fuisse. Potest fuisse: nam declaratum est supra, me nihil aliud tenere, quam hoc, vt esse potuerit per temporum rationem. Sed vt accipiamus illa, quæ prodidit Suidas, Choerilus fortasse Ol. LXXXI. 4. quo anno annum ætatis decimum octauum expleuerat, Samo profugus Herodoti discipulus, vel quod malo auditor factus est et deliciæ. Hinc efficitur, vt Choerileæ poeseos florem iis temporibus assignemus, quæ fuerunt inter pacem, quam solent a Cimone appellare, et belli Peloponnesiaci initia. In quod tempus quæ cadit Sami per Periclem expugnatio, a Diodoro commemorata, nescio et frustra quæratur, an quodam modo ad Choerili res et conditionem pertinuerit.

Hæc, nisi fallor, stare poterunt, donec aliquis alia probet ex aliorum scriptorum, quæ me latuerint, testimoniis. Qualia quin exstent, ego dubito. De singulis annis disceptandi copia datur. Sic Choerilum sedecim annis Herodoto minorem et anno ætatis sexagesimo sexto mortuum facere possis. Sed malui numerum tenere septuagenarium. Vnum addo, quod ad temporum rationes, quæ Choerilum inter et alios intercedant poetas epicos, attinet. Quod Suidas dicit cum Eudocia, Choerilum *γενέσθαι κατὰ Πανύασιν τοῖς χρόνοις*, id nunc quoque, quum de antiquitate Choerili non paullulum detraxerimus, verum manet. Panyasin etsi nos antiquiorem fuisse demonstrauimus, quam alii statuerunt, tamen Olympiade LXXVIII. superstitem fuisse concessimus. Fuit igitur sane Choerilus multo, sed multo, minor natu quam Panyasis. At nihilominus ille Panyasidis tempore fuisse dici poterat, quandoquidem hominis

alicuius ætas ex alius viri nobilioris ætate definiri potest, etsi hic multo prior fuerit illo. Ac fuit Panyasis Choerilo nobilior. Tanto quidem minorem Panyasi fuisse Choerilum, vt, quum ipse animum ad artem appelleret, illius poesin absolutam ante oculos haberet, etiam aliunde, probabili argumento, patebit, quum de poesi Choerili, et nouis eius in arte epica conatibus sermo erit. Si Panyasin Olymp. LXXII. exeunte annum tricesimum egisse statuas, quam meram volo esse coniectionem, annis pæne quinquaginta antecessit Choerilum. Minore interuallo a Choerilo distabat Antimachus, ita tamen, vt quum ille senex esset, floreret Antimachus. Id quod et ipsum ex arte epica, apud vtrumque diuersa, probari potest.

Hæc de Choerili nostri ætate. In quibus me propugnatorem habere video, sed infirmum, et qui multum abest, vt omnia circumspexerit, Tanaq. Fabrum in vitis poetarum gr. vol. X. Thes. Gron. pag. 772. sq. Qui quod Archelai initia ponit in Olymp. LXXXVII. error est etiam Salmasio communis, Plin. Exercit. pag. 111. Præiuit errorem, vt Athenæum taceam, Eusebius. Quid vero? Si verum esset, Archelaum imperium suscepisse Ol. LXXXVII. cur non potuerit Choerilus adolescere Ol. LXXV. et mori apud Archelaum?

Suidam exscripsit Laur. Crassus in hist. poetar. gr. pag. 110. sq. Omnia confudit, præpostero acumine, Scaliger Animaduers. in Euseb. pag. 101.

CAPUT IV.

De Choerilo Samio Marcellini locus. Choerili nomen. Scriptorum, qui de Choerilo Samio exposuerunt, auctoritas.

Nefas foret, prætermittere Marcellini locum, qui, etsi ad disputationis eius, quam peregi, discrimen non facit, illustrandus tamen est, quoniam adhuc incertum reliquerunt viri docti, vtrum Choerilum intelligat Marcellinus epicum poetam, an tragicum. Locus est in vita Thucydidis pag. 725. vol. II. ed. Lips. *συνεχρόνισε δέ, ὥς φησι Πραξιφάνης ἐν τῷ περὶ ἱστορίας, Πλάτωνι τῷ κωμικῷ, Ἀγάθωνι τραγικῷ, Νικηράτῳ ἐποποιῷ, καὶ Χοιριδίῳ, καὶ Μελανιππίδῃ.* Vbi Choerilus, nam *Χοιρίλῳ* ibi reponendum ex virorum doctorum obseruatione, secundus, antiquus poeta epicus, intelligendus est, non tragicus. Choerilus Tragicus et Melanippides, si quidem Melanippidem priorem intelligas, tantum distant ætate ab Agathone Tragico et Platone Comico, vt vix commode aliquis et cum illis et cum his *συγχρονίσαι* potuerit. Agatho Tragicus et Athenis, et apud Archelaum regem, hospitalitate in poetas celebrem, Euripidis familiaritate vtebatur, ipse illo iunior, vt vel ex Aristophane liquet. Plato Comicus autem etiam posterior fuit Euripide atque Agathone, ideoque nimis remotus a Choerilo Tragico. Melius omnibus inter se conuenit, si Choerilum epicum intelligamus. Id quod vel ex ordine fit probabile, quo Marcellinus istos poetas enumerat; apud quem

si Choerilus intelligendus esset tragicus poeta, iuxta scenicos poetas, Platonem Comicum et Agathonem, positum legeremus, non post Niceratum epicum. Vixit igitur Thucydides cum Choerilo epico, cui ad annum fere æqualis fuisse videtur; cum Melanippide, cum Nicerato, cum Agathone et Platone Comico. E quibus vnus, quod iam significaui, dubitationem mouet, nimis, vt videtur, antiquus, Melanippides. Si ex Suida certo demonstrari potest, circa Ol. LXV. iam vixisse et floruisse hunc Melanippidem. Sed nihil impedit, quo minus de altero Melanippide, illius nepote et poeta non minus celebri, cogitasse Marcellinum statuamus.

Valde obscurus est Niceratus epicus poeta. Meminit eius, et Heracleotam dicit Plutarchus in vita Lysandri eo loco, quem paullo ante indicaui. Ex Plutarchi verbis si iudicium feras, poeta non valde nobilis fuit. At commodum mihi succurrit antiquior et ætate Nicerato propior testis, Aristoteles Rhetor. III. XI. Vnde et hoc disces, Niceratum, quum Lysandro arbitro victoria dignus fuerit, alio tempore iudices minus benignos expertum esse. Cæterum vt inquiramus in ætatem Nicerati, cum Plutarcho et cum nostra de Marcellino disputatione vide quam egregie concinat Aristoteles. A quo qui laudatur Thrasymachus, idem est, qui laudatur Rhet. III. I. III. VIII. Thrasymachus Chalcedonius rhetor. Eius autem ætatem florentissimam non fallemur, si Quinctiliano maxime duce ponimus circa Socratis tempora, id est, circa Olympiadem XC. Fuit igitur Niceratus Choerilo epico aliquanto posterior, Antimachi fere æqualis. Quod inter Nicæneti epigrammata nunc legitur, Anal. T. I. p. 417. quartum, olim Nicerato tribuebatur; nescio an eodem iure, quo nunc Nicæneto. Alius est Niceratus, symposii xenophontei conuiua, qui non differre videtur a Nicerato Niciæ, cuius Plato meminit in Lachete fin. de Republ. I. init.

Patriam Choerili quod attinet, aliquid subiiciendum

est. Suidas: — *Σάμιος. τινὲς δὲ Ἰασέα, ἄλλοι δὲ Ἁλικαρνασσέα ἱστοροῦσι.* Eadem Eudocia, cum leuibus mendis: — *Σάμιος, κατὰ δέ τινας, Ἰσεὺς, ἢ Ἁλικαρνασσεύς.* Hesychius Milesius, sed is, quem hodie tenemus, Samium dicit simpliciter. Hinc Samium appellare consueuerunt viri docti. Atque huic opinioni aliquid certe ponderis addunt, quæ Suidas de vita Choerili subiicit, supra a me tractata. Præterea multum auctoritatis præ se fert Plutarchi, quem propius inspiciemus, locus. Accedit Photii testimonium, inter fragmenta Choerili ponendum. Qui testium consensus apud nos peruicit, vt Samium diceremus. Cum his eorum opinio, qui Iasensem dixerunt, quibus adstipulari videtur Stephanus Byzantinus in v. *Ἰασσός,* conciliari poterit ita, vt eumdem et Samium et Iasensem fuisse perhibeamus. Inter veteres poetas non vnus duplex a mutata patria cognomen nactus est. Sed longe aliud suadent aliæ rationes, et Stephani verba ipsa, in quæ propius inquiretur, quum ad tertium Choerilum peruenerimus. Pro Atheniensi Choerilum nostrum habuit Barnesius in vita Euripidis cap. XXX. pag. 31. Lips. nulla alia, puto, ratione ductus, quam quod sibi persuasisset, nostri Choerili patrem fuisse Choerilum Tragicum. Quam coniecturam supra tetigi.

Necdum dimittere possum hunc Choerilum, antequam obseruatum aliquid fuerit super scriptura nominis. Quæ obseruatio, quum omnes Choerilos amplectatur, nusquam tamen melius inseretur, quam hoc loco, vbi in Choerilo versamur eo, qui omnium celeberrimus. Torrentius comment. in Horat. Epist. II. I. 233. pag. 737. *Χοίριλον* et *Χαίριλον*, modo idem nomen sit, vocari a Græcis animaduertit. Itaque scribendum esse *Choerilus,* non *Cherilus.* Quod monuit contra Lambinum, qui *Cherilum* appellat, quod in Aristotelis Topicis *Χείριλος* sit in exemplis Aldinis. Alteram tamen scripturam, *Choerilus,* non ignorabat Lambinus

ad Art. Poet. 357. *Χαίριλος* mihi nusquam occurrit, in græcis quidem libris; quamquam viros doctos memini, qui *Chœrilum* scribant. Et *Chœrilus* Acronis ad Horatium editio princeps. Sed sollemne antiquarum editionum, tum vero et codicum mss. mendum est *Χοίριλλος*, obseruante iam Menagio ad Diog. Laert. p. 14. Amst. vel etiam *Χοιρίλλος*. Sic Suidas, vbi de Choerilo Tragico dicit; sic Eudocia et Hesychius Milesius. Sic Plutarchi editiones Iuntina et Aldina; Diogenis Laertii, teste Menagio, editiones antiquiores; sic nunc Stephanus Byzantinus, Proclus, scholiastes Aristotelis ad Rhetorica, iis locis, vbi Choerili mentionem faciunt. Vera huius nominis scriptura fuit *Χοιρίλος*. Quod dudum obseruauit Gyraldus p. 249. vbi mendosum esse ait Stephani Byzantini codicem, nam *Choerilum*, simplici l, esse legendum. Eamque scripturam passim tenent boni codices et editiones. Veluti dudum hoc vulgatum fuit apud Athenæum; apud Strabonem, quod testatur latina Guarini interpretatio. Idem in scholiis Apollonii Rhodii editio Stephani et codex Parisinus, et *Χοιρίλος* in Aristotelis Rhetoricis Victorius et codex noster Dresdanus. Mitto alios. Interdum consulto variasse dixeris siue librarios siue editores. Editio Athenæi Basileensis, quam sequitur Casauboniana, quum vbique recte habeat *Χοιρίλον*, semel Choerili tragici nomen ita scriptum habet: *Χοίριλλος*. Fortasse vt versui consuleretur. Suidæ etiam Mediolanensis editio eo loco, vbi de Choerilo Samio agitur, præbet *Χοιρίλος*, quamquam eadem paullo ante, vbi de Choerilo Tragico, *Χοιρίλλος* habet: nescio an consulto. Certe hinc Sylburgio subnatum esse videtur consilium, ita discernendi hos poetas, vt Samius *Χοιρίλος*, Atheniensis *Χοίριλλος* audiuerit. Quod me docuit Buhlius ad Aristot. Topic. locum infra laudandum. Eamdem rationem Crassus in historia poetar. gr. iniit. Verum inanis est ea coniectura. Vnicum nomen fuit, omnium commune, *Χοιρίλος*. Quod nomen

omnino non inusitatum fuit in Græcia. Occurrit Choerilus Eleus ap. Pausan. VI. p. 494. quem emendauit Facius. Sic autem scribendum, non *Χοίριλος*, vt multi et codices et critici, etiam recentiores, velut in Cratetis, quod suo loco dabimus, epigrammate. Alia codicum græcorum et latinorum errata et portenta passim et notaui et notaturus sum. Nam multifariam deprauatum fuit nomen.

Denique hic in deliberationem veniet testium, quibus adhuc vsi sumus et deinceps vtemur, eorum, qui de Choerilorum ætate, vita, patria, diserte exposuerunt, auctoritas. Quam disceptationem, quod hic demum instituam, non verendum est, ne iusto serius fiat. Manebunt enim et sibi constabunt, quæ vsque adhuc a me disputata sunt. Tres autem sunt testes: Suidas, Hesychius Milesius, Eudocia. Initium faciemus ab Hesychio Milesio. Cuius hac opportunitate verba integra apponam, ex libello de viris eruditione claris p. 40. sq. Meurs.

Χοίριλλος σάμιος ποιητὴς ἔγραψε τὴν ἀθηναίων νίκην κατὰ ξέρξου, ἐφ' οὗ ποιήματος κατὰ στίχον στατῆρα χρυσοῦν ἔλαβε, καὶ σὺν τοῖς ὁμήρου ἀναγινώσκεσθαι ἐψηφίσθη.

Hæc quicumque legerit, primo obtutu existimabit ex Suida deriuata et contracta esse. At vero diu ante Suidam vixit et scripsit Hesychius Milesius opus suum, cuius hic libellus, qui hodie exstat, nonnisi epitome est. Quod quum intellexisset Kusterus ad Suidam in v. *Ἡσύχιος Μιλήσιος*, satis mirari non possum, quo modo eidem cum aliis viris doctis Suidæ verba, quæ eam ipsam rem spectant, dubia vel difficilia videri potuerint. Suidæ hæc sunt in v. *Ἡσύχιος Μιλήσιος*:

ἔγραψεν Ὀνοματολόγον, ἢ Πίνακα τῶν ἐν παιδείᾳ ὀνομαστῶν, οὗ ἐπιτομή ἐστι τοῦτο τὸ βιβλίον.

Hæc incredibile quantas turbas dederint. Albertus, vbi Suidæ locum exhibet cum variorum notis, in proleg.

ad Hesych. lex. fol. 1. Is. Vossii verba apponit, quæ si bene intelligo, hæc fuit Vossii sententia, Suidam lexicon illud suum appellare βιβλίον et epitomen Hesychii Milesii. Meursius mutilum esse censebat Suidam, et ita supplendum: — ὀνομαστῶν, Διογένην τὸν Λαέρτιον μιμησάμενος, οὗ ἐπιτομή etc. Quam coniecturam secure repetiit Thorschmidius in dissertatione de Hesychio Milesio. Albertus eam non refutauit, et Kusterus ad Suidam liberum de ea lectori iudicium reliquit. A vero proxime abfuit Fabricius Bibl. gr. vol. VI. pag. 242. Breuiter loquitur, vt in re nota, Suidas, cuius sententia hoc modo supplenda est: *Hesychius Milesius scripsit* Ὀνοματολόγον ἢ Πίνακα, *cuius epitome est hicce libellus, qui nunc Hesychii Milesii nomine inscribitur.* Innuit autem eumdem libellum, quem hodie nos habemus. Ex quo quæ supra exhibui, ea excerpta sunt ex ipso Hesychii Milesii opere, vbi pleniora exstabant. Hoc autem periit, vt multis grammaticorum operibus accidit, præualente, propter breuitatem, et commodiorem, vt videbatur, vsum, epitoma.

Suidæ tempore non dubito quin exstiterit Hesychii Milesii opus: et ex eo Suidam illa sua de Choerilo hausisse, facili et probabili coniectura ponemus, quum vel pauca ea, quæ conseruauit epitome, tam accurate respondeant Suidæ. Hinc sequetur, vt, quæ super Choerilo tradat Suidas incerta vel falsa, qualia et notauimus et posthac notaturi sumus, ea omnia referenda sint ad prauum iudicium Hesychii Milesii. Quod tamen non ita affirmo, acsi prorsus sit sine controuersia. Nam fieri potuit, etsi factum esse non credo, vt etiam aliunde aliquid admisceret Suidas. Choerili Tragici notitiam, quam habuit Suidas, vtrum ex Hesychio Milesio habuerit, an aliunde, nemo dixerit. Quæ de Choerili Samii ætate et vita habet Suidas, carptim antea a me proposita, nunc subiiciam integra, vt leguntur apud Suidam.

Χοιρίλος, Σάμιος· τινὲς δὲ Ἰασέα, ἄλλοι δὲ Ἁλικαρνασσέα ἱστοροῦσι· γενέσθαι δὲ κατὰ Πανύασιν τοῖς χρόνοις· ἐπὶ δὲ τῶν Περσικῶν, ὀλυμπιάδι οέ, νεανίσκον ἤδη εἶναι. δοῦλόν τε Σαμίου τινὸς αὐτὸν γενέσθαι, εὐειδῆ πάνυ τὴν ὥραν· φυγεῖν τε ἐκ Σάμου, καὶ Ἡροδότῳ τῷ ἱστορικῷ παρεδρεύσαντα λόγων ἐρασθῆναι· οὗτινος αὐτὸν καὶ παιδικὰ γεγονέναι φασίν· ἐπιθέσθαι δὲ ποιητικῇ. καὶ τελευτῆσαι ἐν Μακεδονίᾳ παρὰ Ἀρχελάῳ, τῷ τότε αὐτῆς βασιλεῖ.

De scriptis Choerili et præmiis quæ prodidit Suidas, alibi inserentur.

Ex Suida manifesto excerpta sunt, quæ apud Eudociam exstant pag. 437. Præter postrema ea, quæ ad scripta Choerili Samii pertinent. Quæ quidem ex alio fonte nescio quo accepit et attexuit Eudocia. Incerta vero ea sunt et partim inepta, sed ita inepta, vt non sint contemnenda. Quæ ex Suida habet, hæc sunt:

καὶ ἕτερος Χοιρίλλος Σάμιος, κατά δέ τινας, Ἰσεύς, ἢ Ἁλικαρνασσεύς· γέγονε δὲ κατὰ Πανύασιν τοῖς χρόνοις.

CAPUT V.

Choerilus, Alexandri Magni comes, Iasensis.

Tertius Choerilus est Alexandri Magni æqualis. Vid. quæ Vossius locis laud. de hist. gr. IV. VII. de poetis gr. cap. V. et ibidem cap. VIII. ad Olymp. CXIII. et Fabric. B. gr. vol. III. pag. 38. Harl. Cf. si placet, Laur. Crassi hist. poetar. gr. pag. 111. Absque Horatio esset et Curtio, hunc hominem prorsus ignoraremus. Atque Horatius bis eius mentionem fecit, Epist. II. I. 233. sq. et Art. Poet. 357. Curtius lib. VIII. V. 8. Quos plurimi laudauerunt. Sed negligi non debuerat, gratus in re tam obscura testis, Ausonius. Cuius hæc sunt verba, Epist. XVI. *Quumque ego imitatus sim vesaniam Choerili, tu ignoscas magnanimitate Alexandri.* Hunc Alexandri Magni Choerilum ab antiquiore Choerilo, Samio, iam dudum recte distinxerunt viri docti: Gyraldus de poet. hist. dial. III. pag. 108. tom. II. ed. Bas. Torrentius comment. in Hor. Epist. lib. II. pag. 737. Dan. Heinsius de satyra Horat. lib. II. pag. 267. sqq. et secundum hos alii, vt Freinshemius ad Curtium, Dacerius ad Horatium tom. IX. p. 436. sqq. Cf. et Rutgers. Lect. Venus. pag. 399. Heinsio annotata repetiit, aliquanto auctiora, Sam. Petitus Obseruat. lib. II. cap. II. pag. 166. sqq. Qui, quod supra monitum, de Choerilo Tragico addidit quædam, quem prætermiserat Heinsius. Quod ad Choerilum Samium et Horatianum Choerilum attinet, de discrepantia temporis primus obseruauit Gyraldus. Alteram, qua duo Choerili dirimun-

tur, repugnantiam, quum vnus laudetur et celebretur ab omnibus, alter irrideatur ab idoneo iudice, Horatio, notauit et excussit Heinsius. Qui omnino ad hanc rem omnium disseruit doctissime. Quamquam eam non confecit. Sunt enim apud Heinsium quoque errata et peruerse obseruata. Inter quæ hoc non vltimum, quod Choerilum etiam a Plutarcho inter scriptores Alexandri poni scribit. Qua in re miro modo fallitur, quum quæ Plutarchi verba ibi apponit ex Alexandro Heinsius, ea non sint in Alexandro, sed in Lysandro: in Alexandro enim de Choerilo ne verbum quidem Plutarchus. Eum tamen errorem secure repetierunt Petitus pag. 168. et Dacerius l. l. pag. 438. At quod Choerilum, Alexandri Magni æqualem, a Choerilo, antiquo poeta epico, distinguendum iudicauit Heinsius, rectissime fecit. Et profecto res tam clara est, vt ii potius notandi sint, qui vel per obstinationem, vel per errorem vtrumque Choerilum confuderunt. Quam obstinationis culpam contraxit Scaliger in Eus. pag. 101. a. Erroris, multi: P. Victorius comment. in Aristot. Rhetor. Florent. 1548. pag. 587. Muretus Var. Lect. XII. XIV. Turnebus Aduers. XIX. IX. fin. et XXVII. IV. qui tamen vno loco, XXVI. XXV. verum suspicatus est. Porro eumdem errorem errauerunt Lambinus ad Horat. Epist. II. I. 233. idemque ad Lucret. I. 514. Meursius in Bibl. Gr. lib. II. pag. 1300. sq. vol. X. Thes. Gron. et ad Hesychium Miles. pag. 220. sq.

Quæ de suo addiderunt, Choerilum Alexandri illustraturi, Acro et Porphyrio ad Art. Poet. 357. etsi, quo auctore addiderint, non constat, haud prorsus repudianda sunt. Sunt tamen falsa mixta veris. Illud statim valde incertum est, an, quod inest in verbis istorum hominum, magno et continuo carmine bella Alexandri comprehenderit Choerilus. Deinde quæ de colaphis addit Acro, fabulas puto esse ac nugas. Nimirum quum alterum Horatii locum ex Epist. II. I. sic,

ac recte quidem, intelligerent, vt pro singulis versibus singulos nummos acceperit Choerilus, grammatici, e quibus profecit Acro, hanc adiecerunt conditionem, vt pro bonis tantum versibus præmium illud retulerit, pro malis autem poenam, id est, colaphos. Iam alius viderit, quo sensu *nectus est* dixerit Acro: vtrum ita, vt sit *pœne vsque ad necem fatigatus*, an reuera *interfectus*. Hoc fortasse dignius grammatico. Denique difficillimum est dictu, vnde Porphyrio habeat hæc: *Huius omnino septem versus laudabantur.* Vel, vt commentator Cruquianus: *Choerilus, qui gesta Alexandri describens, septem tantum versus laudabiles fecit.* Est vero res etiam per se non parum mira. Tynnichum nouimus Chalcidensem, qui, quum nullum vspiam poema fecisset memoria dignum, pæanem scripsit longe præstantissimum, cuius pulcritudinem æquari posse ipse negabat Aeschylus, ab omnibus frequentatum, *εὕρημά τι Μουσᾶν:* v. Platonis Ion. pag. 534. d. Cuius poetæ nomen, quod obiter annoto, neque enim a quopiam annotatum scio, restituendum est Ptolemæo Hephæstionis apud Photium Bibl. pag. 485. vbi *Τιτωνύχου* circumfertur, vel alia monstra. Sed quem deus eatenus tantum afflauerit, vt septem versus laudabiles fecerit, præsertim in longo poemate, quale scripsisse Choerilum innuunt Horatii scholiastæ, non facile inuenias, præter hunc Porphyrionis Choerilum. At vero equidem aut fallor aut coniecturam proferam in hoc libro, qua difficultas huius loci explanetur omnis. Septem illos, de quibus Porphyrio, Choerili versus etiamnum exstare puto. Sed hoc differo paullisper. Sunt præterea alia contentioni obnoxia: de præmio, quod ab Alexandro Magno retulisse dicitur Choerilus; an vestigia huius Choerili alia, quam adhuc vidimus, supersint; an *Lamiaca* scripserit, quæ mea opinio est. Quas res omnes tractandi dabitur locus, quum ad Choerili Samii opera et reliquias deuenerit disputatio. Quum

enim non valde clarus olim fuerit, et hodie sit ignotissimus homo Choerilus is, quem Alexandri dicimus, notitia eius omnis, si qua sit, exsculpenda est ex testimoniis, quæ exstant, veterum ad Choerilum Samium spectantibus. Sic in iis, quæ super patria Choerili Samii tradunt auctores, admixta esse, quæ ad Choerilum Alexandri pertineant, statim declarabimus.

Cæterum, etsi et nobis credibile est, immo certum, fractam fuisse Alexandri Magni tempore poesin epicam, tamen videndum est, ne iusto contemtior habeatur, propter Horatii iudicium, Choerilus Alexandri. Potest ille pessimus fuisse, si cum Homero compararetur, sed idem non malus. Tam egregia fuit antiquorum Græcorum poesis, tam firmo ab excellentissimis ingeniis ars imposita fundamento, vt etiam in seros et mediocres poetas aliquid inde fructus redundaret; et longum præteriit tempus, antequam externa poeseos atque artis species penitus exstingueretur. Quam deinde Alexandrini artificio et intentiore cura renouare studuerunt. Illud grauissimum est, quod Horatius *versus* Choerili *incultos* dicit et *male natos.* Quod ad metricam artem spectat. Quamquam in eo paullo iniquior fuisse potest Horatius.

De patria huius Choerili dicturo subuenit Fabricii coniectura. Etenim quum Suidas et Eudocia Choerilum eum, quem antea vidimus, Herodoti æqualem, aut Samium, aut Iasensem, aut Halicarnassensem fuisse dicant, et quum Stephanus Byzantinus in v. Ἰασσός Choerilum Iasensem commemoret: in mentem venit Fabricio Bibl. gr vol. II. p. 292. Harl. hæc ita discernere, vt Choerilum illum, Herodoti æqualem, Samium diceret, et a Stephano Choerilum Alexandri Magni æqualem intelligi crederet. Quam coniecturam rursus deseruit Harlesius, Meursium et Menagium sequutus. Qui Samium et Iasensem et Halicarnassensem pro vno habendum esse censuerunt. Et sic Vossius de histor.

gr. Ac profecto ita fieri potuit. Verum enimuero, quum plurimi, et Suida locupletiores testes Samium nobis præstent illum Choerilum, et quum eius narrationis dissensus, quæ Iasensem infert Choerilum, facillime explanari atque tolli possit, si duos in hac re Choerilos confusos et permutatos fuisse statuamus: cur non eam rationem sequamur nos, qui sciamus et demonstraturi simus, Suidam et Eudociam aliquoties confudisse Choerilos diuersos? Atque hoc sinit, immo suadet Stephanus Byzantinus, qui quum Choerilum Iasensem dicit, vix dubium est, quin ita dicat distincturus eum a Choerilo celebriore Samio. Correctum adscribam Stephani locum. Nam corrigendus est, antequam legi possit.

Ἴασος (Ἴασσος), πόλις Καρίας, ἐν ὁμωνύμῳ νήσῳ κειμένη, ἣ καὶ ὀξυτόνως λεγομένη. ὁ πολίτης αὐτῆς Ἰασεύς (Ἰασσεύς)· ἀφ' οὗ Χοιρίλος ἦν ὁ Ἰασεύς (Ἰασσεύς). Ἴασος δὲ τὸ Ἄργος, καὶ Ἰάσιοι οἱ κατοικοῦντες.

Quod scripsi *Ἴασος, πόλις* — accentu in prima syllaba posito, feci propter verba, quæ sequuntur, *ἣ καὶ ὀξυτόνως λεγομένη*: quæ ostendunt, apud alios non oxytonon fuisse vocem, sed alium accentum habuisse. Et sane *Ἴασος* est apud Athenæum III. p. 105. E. in Archestrati versu:

Ἢν δέ ποτ' εἰς Ἴασον, Καρῶν πόλιν, εἰσαφίκηαι.

In qua narratione Athenæi editiones lib. XIII. p. 606. D. *Ἰασῷ* præbent et *Ἰασοῦ*, in eadem Aelianus de animal. VI. XV. habet *Ἰάσῳ*. Certe sic Gesneri editio. Loquuntur autem Athenæus et Aelianus de Iaso Cariæ. Et *Ἰάσου* ipse Stephanus in v. *Βάργυλα*. Eo tamen loco, in quo nunc versamur, verba *ἣ καὶ ὀξυτόνως λεγομένη*, significare videntur, gratiorem fuisse Stephano eam rationem, qua accentus poneretur in vltima: vel propterea, vt distinguerentur *Iasus* Cariæ et *Ἴασος Ἄργος*. Illud autem incertum relinquo, vtrum Stephanus antiquus, cuius nunc epitomen terimus, *Iasus* dixerit, an *Iassus*,

trum *Ἰασεύς*, an *Ἰασσεύς*. Antiquiorem putauerim esse scripturam per vnum σ. Vid. Berkel. et quos laudat Holstenius: cf. Cellar. notit. orbis ant. vol. II. p. 90. Inter omnes plurimum auctoritatis præ se fert Archestrati versus, quem apposui. Contra quem nihil valet Sibyllæ versus, ab Holstenio adscriptus. *Ἰάσου* Stephanus noster ipse altero loco, in v. *Βάργυλα*. *Ἰασέα* etiam Suidas, vt vidimus, inde a Mediolanensi editione. Quæ editio quod mox etiam *ἁλικαρνασέα* habet, casui magis quam consilio tribuendum videtur. Sic eadem variat in v. *Πανύασις*: *ἁλικαρνασσεύς* — *ἁλικαρνασοῦ* — *ἁλικαρνασσεύς*. Eudocia: *Ἰσεύς*. Ab Iaso Cariæ fuit Lyco *Ἰασεύς* Athenæi X. p. 418. F. quem ad Iasum, ignobile Laconiæ oppidum, male referebat Ionsius de scriptor. hist. philos. lib. IV. 33. Apud Diogenem Laertium II. CXI. p. 145. vbi *Ἰασεὺς* audit Diodorus Cronus, Casaubonus scribi iubet: *Ἰασσεύς*. Consentit Menagius pag. 126. et Suidæ quoque in v. *Χοιρίλος* restituendum censet *Ἰασσέα*. At vero in codicibus Diogenis constanter est *Ἰασεύς*. Quos firmat Hesychius Milesius pag. 18. ed. princ. In Antiatticista Bekkeri vol. I. Anecd. pag. 83. excitatur Alexis *Ἰάσιδι*. Quod fabulæ nomen haud dubie deducendum est ab *Iaso* Cariæ vrbe. *Iasum* et *Ἰασεῖς* per vnum s etiam Athenæus XIII. p. 606. D. et Aelianus l. l. Porro in Stephani editionibus vulgantur hæc: *ὁ πολίτης αὐτὸς Ἰασσεὺς, ἀφ' οὗ Χοιρίλλος ὢν* (sic Pinedus) *Ἰασσεύς*: in quibus *αὐτὸς* otiosum et contra Stephani consuetudinem, et *ὢν* ineptum est. Nisi exciderit aliquid: quod non credo. Berkelii editio: *ἐών*. Pro *αὐτὸς* scripsi *αὐτῆς*. Possis etiam *ταύτης*. Stephanus plerumque sine coniunctione: *ὁ πολίτης, Ἰαγξουατίτης; ὁ πολίτης, Ἰαλύσσιος; τὸ ἐθνικόν, Ἰάπυξ; ὁ οἰκήτωρ, Ἰαθριππηνός*. Sed hic illic aliquid addit ad coniunctionem: *ἧς οἱ πολῖται Γυθεάται, ἧς τὸ ἐθνικὸν Πλουτῖνος, ἧς ὁ οἰκήτωρ Πραιτετιανός, τὸ ἐθνικὸν ταύτης Χναός* et sim. Deinde aliquis corrigendum censeat, *ἀφ' ἧς Χοιρίλος*. Et loquitur eo modo Stephanus, veluti:

Μέγαρα — ὁ πολίτης Μεγαρεύς. ἀφ' ἧς Θέογνις etc. Sed genuinum est *ἀφ' οὗ.* Stephanus: *Βιθύνιον — ὁ οἰκῶν, Βιθυνιεύς, καὶ Βιθυνιάτης· ἀφ' οὗ Πιννυτὸς ἐγένετο Ῥώμης γραμματικός* etc. Cf. v. *Κάλατις*, v. *Μεταπόντιον*, v. *Μόψου ἑστία*, et v. *Τέως*. Vt non perspiciam, cur in v. *Γέργις* vitiosa videatur editori librorum lectio *ἀφ' οὗ.* Si cui autem in his verbis, *ὁ πολίτης αὐτῆς Ἰασεύς· ἀφ' οὗ Χοιρίλος ἦν ὁ Ἰασεύς*, superfluum videatur additamentum *ὁ Ἰασεύς:* is reputet, et alibi sic repeti gentile a Stephano, vbi non necessarium, et hic necessariam fuisse repetitionem, quo distingueretur hic Choerilus a Choerilo Samio. Quod quum alio modo fieri potuisset, breuissime tamen fiebat patriæ nomine addito. Denique in iis, quæ postrema sunt apud Stephanum, intactum reliqui *Ἴασος*, quod libri tenere videntur omnes. Idemque in v. *Ἄργος* ex libris mss. et primis editionibus certatim restituerunt contra Xylandrum Gronouius, Holstenius, Berkelius. Atque sic fortasse loquutus est Stephanus Byzantinus. Verum quod Berkelius apud Eustathium ad Dionys. v. 419. *Ἴασος* reponi iubet pro *Ἴασον*, temere facit, quum idem Eustathius ad Iliad. III. 75. eamdem formam teneat: *ὅθεν — ὠνομάσθη τὸ Ἄργος τριχῶς, Ἴασον, ὡς καὶ ἡ Ὀδύσσεια δηλοῖ, Πελασγικὸν καὶ Ἱππόβοτον.* Cf. eumd. ad Od. XVIII. 245. Neque aliter potuit facere Eustathius. Nam Homeri versus in Odyssea contra viros illos probat, antiquam et vnice veram istius nominis formam fuisse *Ἴασον Ἄργος*, genere neutro. Cf. schol. ad Hom. Il. III. 75. Et Hesychius: *Ἴασον Ἄργος.* Neque apud Strabonem legitur *Ἴασος Ἄργος:* quod tamen affirmat Berkelius. Vt omnino sapientius egerit Pinedus, qui hoc tamquam singulare notat, quod *Ἴασος Ἄργος* sit apud Stephanum.

Redeo ad Choerilum Iasensem. Igitur Stephanus Byzantinus, quum Choerilum dixit Iasensem, non dubito, quin Choerilum eum intellexerit, qui Alexandri Magni æqualis et comes fuit. Quem ille probe distin-

ctum habebat a Choerilo Samio. Iam hoc vix aliquis certo definiat, quis primum ita confuderit vtrumque Choerilum, quo modo confusos videmus apud Suidam et Eudociam. Hesychio Milesio, vt dixi, error ille non communis est: qui Samium dicit simpliciter. Vt fortasse primus Suidas errati culpam contraxerit, et Stephani demum loco inductus. Sed quum Hesychii Milesii non nisi epitomen habeamus, contraria ratione aliquis statuat, eadem, quæ nunc apud Suidam, et hinc apud Eudociam, totidem verbis exstitisse in libro Hesychii Milesii genuino: vt hic primum confuderit Choerilum Samium et Choerilum Iasensem. Suidas insuper addit, etiam Halicarnassensem fuisse, ex quorumdam opinione, Choerilum. Quinam illi fuerint nescimus. Repetiit Eudocia. Et hoc quoque Suidæ, vel eius, quem Suidas exscripsit, errori adscribendum est. Iterum confusi Choerili, et Choerilo Samio datum est, quod pertinebat ad Choerilum Alexandri. Hunc enim credibile est ab aliis Iasensem, ab aliis Halicarnassensem appellatum esse, quum ambæ essent Cariæ ciuitates. Itaque ex alterutra oriundus hic Choerilus Alexandro Magno, in Asia versanti, adhæsit.

His peractis visum est, Scaligeri, quam supra attigi tantum, opinionem, quæ ad Choerilum spectat, contemplari. Nam vnum Choerilum statuit Scaliger. Sufficiet autem summam eius disputationis ponere, quo appareat, an recte obstinationis crimine accusauerim virum magnum. Cuius hæc sunt argumenta, Animaduers. in Euseb. pag. 101. a. Frustra esse, quod duos Choerilos fuisse putet Gyraldus. Vnum fuisse. Quem floruisse Persicis temporibus et expeditionem Xerxis epico carmine conscripsisse, sub Alexandro Amyntæ filio. Eumque egregium poetam fuisse. Cuius rei testimonium illos versus profert, sane egregios, quos ego posui fragm. I. Hallucinatum esse in regis Macedonum homonymia Horatium, qui Alexandro Magno attribuat,

quod ab Alexandro Amyntæ filio factum; et eumdem præpostere de poesi Choerili iudicasse. Prauo Horatii iudicio obsequutum esse Curtium. Quæ quam vana sint omnia, quam inique disputata in Horatium, quam repugnantia antiquis testibus, non opus est explicare, post ea, quæ a me scripta sunt. Ac primus quidem Scaligeri lapsus, et reliquorum fons errorum, in eo est, quod Persicis temporibus floruisse Choerilum, epicum poetam, et sub Alexandro Amyntæ, statuit. Quod partim studiose fecit, vt duos Alexandros confudisse videretur Horatius; partim Eusebii loco induci se passus est, Choerilum Olympiadi LXXIV. assignantis. Quo errore, vt Dacerium taceam, etiam Heinsius abreptus Choerilum epicum vixisse statuit ad LXXIV. Olympiadem. At enimvero, quod iam animaduertimus, Eusebius ibi Choerilum Tragicum innuit. De quo miror quod nihil notatum sit Scaligero. Nisi eo vsque processerit Scaliger, vt pro vno eodemque habuerit Choerilum tragicum et epicum. Et profecto eo processit; quod ægre profiteor, quum res sit pæne indigna Scaligero. Sed disertis ille verbis, vbi de Choerilo illo suo agit, qui floruerit sub Alexandro Amyntæ et epicum carmen conscripserit: *præterea,* inquit, *Pratinas commisit fabulam cum eo Olympiade* LXX. Vt iam, si quis Scaligerum audiat, coalescant et in vnum redigantur Choerili, quos recensuimus, tres. At bene est illis, et salui deinceps manebunt. Scaligero irascimur, qui abuti ingenio, quam via ab aliis monstrata insistere et aperire veritatem, id quod nemo facile illo potuerat melius, maluerit.

CAPUT VI.

De Choerilo Samio Plutarchi locus.

Etiam quartum Choerilum fuisse, coniectura est virorum doctorum. Qui si fuisset, ætate tertius foret. Plutarchi sunt verba in vita Lysandri pag. 443. C.

> *Σάμιοι δὲ τὰ παρ' αὐτοῖς Ἡραῖα Λυσάνδρια καλεῖν ἐψηφίσαντο. τῶν δὲ πολιτῶν* (var. l. *ποιητῶν*) *Χοίριλον* (immo *Χοιρίλον*) *μὲν ἀεὶ περὶ αὐτὸν εἶχεν, ὡς κοσμήσοντα τὰς πράξεις διὰ ποιητικῆς.*

Præcedit pæanis exordium in Lysandrum cantari soliti, quem et Athenæus innuit, et in Samo cantatum fuisse narrat lib. XV. p. 696. E.

> *Ἑλλάδος ἀγαθέας στραταγόν,*
> *τὸν ἀπ' εὐρυχόρου Σπάρτας ὑμνήσομεν. ὦ ἰὴ παιάν.*

Scripsi *εὐρυχόρου*, et articulum *τόν*, qui permutauerat sedem suam, retraxi. *ἀπ'* in Tubingensi editione malo casu excidit. *στραταγόν* est ex Iuntina: Aldina *στρατηγὸν* habet. Cf. de Samiorum in Lysandrum studio Pausan. VI. pag. 459. sq. Choerilum Lysandri Torrentius commemorauit, eique cum Choerilo Samio et aliis de caussis, et per temporum rationem male conuenire indicauit, loco laudato, ad Hor. Epist. II. I. 233. pag. 737. Lysandri Choerilum cum Samio eumdem facit, sine hæsitatione, Vossius de histor. gr. IV. VII. In quo Vossium sequutus Simsonius Chron. pag. 785. sq. qui, non bene perspecta Vossii sententia, valde perturbata tradit de Choerilo. Vossius autem ipse sibi non constitit.

Qui in libello eo, quem scripsit de poetis græcis, cap. V. Torrentii vestigiis insistens: *Sed idemne*, inquit, *qui semper cum Lysandro erat, vt eius res gestas pangeret: vt apud Plutarchum legere est? Vix id temporis ratio sinit, cum inter Athenas a Xerxe et Lysandro captas intersint Olympiades vndeuiginti.* Huic Vossii iudicio obsequutus quatuor Choerilos distinguit Menagius ad Diog. Laert. pag. 14. ed. Amstel. Tragicum, Samium, Choerilum Lysandri, denique Alexandri Magni Choerilum. Sic Crassus quoque, hist. p. gr. pag. 111. Lysandri Choerilum a reliquis distinctum induxit, Vossii auctoritatem prætendens. Meursius vero ad Hesych. Miles. pag. 221. Lysandri Choerilum et Samium pro eodem habuit; quod cur miremur, quum idem, vt vidimus, Samium et Alexandri Magni æqualem confuderit?

Taceo Gyraldum, qui in vnum conflari posse opinabatur Lysandri Choerilum et Choerilum Tragicum, poet. hist. dial. VI. pag. 249. At dubitanter tamen hoc protulit Gyraldus, cuius laudanda est diligentia, quod primus, quem meminerim, Plutarchi illum locum inuestigauerit.

Ac profecto multum abest, vt per Vossium et Menagium ad liquidum perducta sit quæstio. Est enim ea coniectura, qua Choerilum illi quartum, Lysandri, ponunt, facillima quidem, sed eadem difficillima, quæ nullo præter Plutarchum testimonio nitatur. Sunt præterea alia non minus dubia. Ac primo loco tenendum est, falli Torrentium, qui Lysandri res gestas a Choerilo scriptas fuisse dicat. *ὡς κοσμήσοντα* Plutarchi sunt verba: an fecerit, non addit. Porro, quod Lysandri Choerilum Spartanum vocari a Plutarcho dicit Torrentius, nititur his Plutarchi verbis: *τῶν δὲ πολιτῶν X. μὲν ἀεὶ* — quæ eadem ratione et Plutarchi interpretes acceperunt. Xylander: *Ipse Choerilum semper secum habuit, ciuem suum.* Herm. Cruserius eodem, vt vide-

tur, sensu: *Ex ciuibus — Choerillum.* Sic nouum poetam lucramur, eumque Laconem. Et *Choerilum Laconem* securus recepit Crassus. Res satis insolens, etiamsi statuas, hunc Choerilum Spartanum non natum, sed factum esse, vt Alcmanem et Tyrtæum. Auget difficultatem, quod ita Plutarchus loquitur, acsi satis notus fuerit ille Choerilus: non addit *τινά,* vt paullo post, vbi de Nicerato. Hæc dum reputabam omnia, diu animum suspensum habui; nec facile vllam, qua Plutarchi locus expediri posset, viam intentatam reliqui, antequam mihi faterer, de nullo alio, quam de notissimo illo Choerilo Samio, loqui Plutarchum. Indicem et quasi solutionem ænigmatis equidem reperi in istis, quæ non levissimum negotium facessere modo animaduertebam: *τῶν δὲ πολιτῶν* etc. In quibus quæ inest difficultas, quum remoueri possit, si reciperemus alteram lectionem, *ποιητῶν*, nescio tamen, an eam ipsam ob caussam, quod difficilius, *πολιτῶν* retinendum sit. Et est retinendum, sed longe aliter, quam opinati sunt viri docti, interpretandum. Hæc, *τῶν δὲ πολιτῶν,* arctius coniungenda sunt cum præcedentibus, hoc modo: *ex ciuibus autem,* nimirum Sami, *semper secum habebat Choerilum.* Plutarchus quum dicit: *Σάμιοι — ἐψηφίσαντο*, complexum et quasi personam intelligit totius Samiorum populi: nam singuli illud decernere non poterant. Verum ex singulis ciuibus erat is, quem secum habuit Lysander.

Igitur Choerilus intelligendus est Samius. Qua re quum Plutarchi locus lucem demum suam recuperet, recte supra a nobis adhibitus est ad stabiliendam eam de Choerili Samii ætate sententiam, quam aliæ rationes suadebant. Vt iam inanes sint Torrentii aliorumque dubitationes. Torrentius autem eo pronior esse debebat ad dubitandum, quum Eusebii locum, quem ego ad Choerilum Tragicum pertinere ostendi, ad Choerilum Samium retulisset. Vnum superest itemque alterum, de quo paucis monendum videatur, in Plutarchi narratione.

Plutarchus, quod iterum inculco, incertum relinquit, an scripserit aliquid in Lysandri honorem Choerilus. Deinde, quod legitur: *Χοιρίλον μὲν ἀεὶ περὶ αὑτὸν εἶχεν*, caue, ne ibi sensu nimis lato accipias illud *ἀεί*. Lysandrum semper secum duxisse poetam aliquem, ægre crediderim. Cogitandum est de certo quodam tempore, quo quidem, vt monitum est, iam inclytus fuerit, et de certa quadam expeditione Lysandri. Hic vero ad rem egregie conuenit Lysandri expeditio in Samum. Samum quum breui post proelium apud Aegos flumen gestum frustra ille oppugnauisset Olymp. XCIII. 4. postea, capta Athenarum vrbe, et longis muris euersis, expugnauit, veteres ciues restituit, administrationem composuit, Olymp. XCIV. 1. Vid. Diodorum XIII. CVI. et XIV. III. Xenoph. Hist. Gr. II. III. 3. 6. 7. ed. Weisk. Plutarch. Lys. pag. 440. F. quem quidem Sami expugnationem loco non suo ponere animaduertit Palmerius in Exercit. pag. 199. Eam Plutarchus eo loco, qui est p. 442. A, inserere debuerat, vt ibi Bryanus monet ap. Hutten. Ex his scriptoribus solus Diodorus eam, quam tetigi, Sami oppugnationem, Olymp. XCIII. 4. commemorat; sed est aliquid simile apud Xenoph. II. II. 6. Vnde apparet, iusto breuius loqui Pausaniam l. l. pag. 460. qui post proelium apud Aegos flumen Lysandro statuam Olympiæ positam esse a Samiis referat: quum et hoc, et qui alii Lysandro honores habiti sunt a Samiis, pæan ille et Lysandriorum appellatio, ad tempus paullo serius, post captam Samum, referenda sint. Itaque circa hoc tempus, Ol. XCIII. 4. et XCIV. 1. cum Lysandro versatus est Choerilus: ac fortasse cum antiquis illis ciuibus e Samo abierat, quos eiecerant Samii, restituit Lysander. Vt etiam in rebus ciuilibus caussa fuerit, cur versaretur cum Lysandro Choerilus. Sed hoc prorsus incertum; præsertim, si verum sit, quod de seruili Choerili conditione scripsit Suidas. Iure dubites, an non vltra Olympiadis XCIV. annum primum

cum Lysandro fuerit Choerilus. Non videtur cum illo Spartam abiisse, sed potius ex Samo in Macedoniam profectus esse, Olymp. XCIV. 2. vt supra dixi, vel anno insequente; aliis de caussis, an sola Archelai inuitatione inductus, nescimus.

Etiam serius illud accidisse conieceris, quod Plutarchus narrat, Antimachi et Nicerati circa Lysandrum certamen fuisse: tum, puto, quum in Asia ageret cum Agesilao Lysander, summa Græcorum ibi gratia summoque studio conspicuus. Qua de re Xenophon III. IV. 7. sqq. ed. Weisk. Ad Niceratum quod attinet, dixi, quæ habui. Quo multo etiam obscurior et prorsus depositus poeta Antilochus est, cuius idem Plutarchus mentionem facit ibidem. Atque Plutarcho teste vtitur, vbi Antilochum apponit, Vossius de poetis gr. cap. VII. ad Olymp. XCIV. Neque ego habeo, quod addam. Qui apud Athenæum XIV. p. 620. C. ferebatur *Antilochus*, in nuperrima editione merito cessit *Archilocho*. Idem mendum eamdemque mendi correctionem dudum inuenerunt in Plutarchi de musica libello pag. 1133. F. et apud Athenæum II. p. 52. F.

CAPUT VII.

Choerilus Ecphantidae.

Sic quum Lysandri Choerilus, vix male natus, rursus euanuerit, alium in eius locum sufficiamus, quartum, vel ætate tertium aut secundum, Choerilum. Qui Comicus, vel certe Comici dimidium fuit. Homo obscurissimus et vix agnitus viris doctis; de quo tamen quæ traduntur, efficiunt, vt vixisse hominem credam. Huius notitiam vnice debemus Hesychio. Nam si quod præterea hominis exstat vestigium, id sine Hesychio frustra foret et inutile. Itaque Hesychius:

> *Ἐκκεχοιριλωμένη. οὐ Χοιρίλου οὖσα. Ἐκφαντίδῃ γὰρ τῷ κωμικῷ Χοιρίλος* (vulgo, *Χοίριλος) θεράπων ἦν, ὃς συνεποιεῖτο κωμῳδίας.*

Hesychium, vt solet, compilauit Phauorinus p. 247. Ven. Mitto nunc priora. De Ecphantide primum comico paucis dicetur. Cuius memoriam valde obscuratam esse, obseruauit Casaubonus in Athen. III. pag. 183. Cf. Bibl. gr. Harles. vol. II. pag. 440. De hoc quoque audiendus ante omnes Hesychius: *Καπνίας. Ἐκφαντίδης, ὁ τῆς κωμῳδίας ποιητὴς, Καπνίας ἐπεκαλεῖτο, διὰ τὸ μηδὲν λαμπρὸν γράφειν.* Vide ibi intpp. et Suidam in v. *Καπνίας*, cum nota Kusteri. Quæ apud Suidam, eadem ap. Phauorinum p. 402. Photii locus est p. 98. ed. Herm. Quæ alibi annotauit Hesychius, et Choerilum vna spectantia, postea proferam. Docta et satis longa est Maussaci disputatio in dissert. de Harpocrat. pag. 402. sq. ed. Blancard.

sed ex qua vix recte discas, cur *Καπνίας* ille appellatus fuerit. Videtur autem cognominis caussa fuisse vel fabularum Ecphantidæ argumentum, quod ille tenue et obscurum eligere consueuisset, vel obscurum et paullo molestius dicendi et disponendi genus, quale illis temporibus non placebat, postea inter Alexandrinos in laude erat. Sic inter Tragicos, iam ante Alexandrinorum æuum, fuit, cui obscuritatis nota inureretur. Carcinum intelligo, qui Orestam induxerat, matricidium per ænigmata Lycophronea profitentem. V. Suid. *Καρκίνου ποιήματα.* Eiusdem Carcini in disponendo obscuritatem notat Aristoteles Poet. XVII. init. De vino *καπνίᾳ* satis habeo indicare potiora græcorum scriptorum testimonia, quæ dispersa leguntur per Athenæum, et multos latuisse videntur. Sunt autem hæc: Platonis comici lib. I. p. 31. E. Anaxandridæ IV. p. 131. F. Pherecratis VI. p. 269. D. Vnde patebit, quam recte ignominiosum illud Ecphantidæ cognomentum a vini cognomine deduxerit Maussacus. Ecphantidem quod attinet, scholiastam Aristophanis in Vesp. 151. laudant ad Hesychium; sed idem Ecphantidæ meminit ad eamd. v. 1182. Nam pro *Φραντίδης* ibi legendum esse *Ἐκφαντίδης*, animadverteruut multi: Casaubonus l. l. Flor. Christianus, Maussacus l. l. Iungerm. ad Pollucem, Kusterus in auctorum indice ad Aristophanem. Graue est hoc scholiastæ testimonium, ex quo Ecphantidæ, et hinc Choerili huius, ætas colligatur: de qua incertus Vossius de poetis gr. inter scriptores incertæ ætatis posuit Ecphantidem, pag. 226. a. edit. qua vtor, Amstel. 1696. tom. III. Fuit autem antiquæ comoediæ poeta, et vixit cum Teleclide, Cratino, Aristophane, antiquissimus fortasse inter hos omnes. Nec dubito, quin Aristophanes in Vespis v. 151. illum carpere voluerit. Hinc non inepte aliquis Hesychium in v. *Καπνίας* ita suppleuerit: *ὁ τῆς ἀρχαίας κ. π.* Sed nihil opus. Quod Ecphantidem *ἐν Σατύροις* laudat Athenæus pag. 96. C. inanes difficultates et

hariolationes peperit Crasso hist. poetar. gr. pag. 171. Erroris particeps fortasse fuit Flor. Christianus ad Vesp. 1182. qui Satyros illum scripsisse dicit. Rem composuit Hermannus in epistola de dramate comico-sat. pag. 248. sqq. Satyri comoedia fuit Ecphantidæ. Versum poetæ ab Athenæo prolatum satis probabili coniectura tentauit Hermannus pag. 251. Aliud Ecphantidæ fragmentum, *κακηγορίστατος*, exstat apud Pollucem lib. II. s. 127. pag. 216. Porro aliquid Ecphantideum et ipsum carminis strophici exordium, si recte sentio, superest in versu eo, quem inter exempla metri Cratinei recenset Hephæstio pag. 56. Pau.

Εὐϊὲ κισσοχαῖτ᾽ ἄναξ, χαῖρ᾽, ἔφασκ᾽ Ἐκφαντίδης.

Ἐκφαντίδης est ex Pauii emendatione. Vulgo *Φαντίδης.* Carmen illud in qua fabula fuerit, videor mihi monstrare posse. Suidas: *Εὐϊέ. Διονύσῳ. ὕμνος ἐνθουσιαστικός.* Nihil differunt Mediolanensis et Gronouii liber, nisi forte interpunctione. Kusterus scribi iubet *Διόνυσε.* Male. Sæpius occurrit *εὐϊέ:* sed hic sic loquitur Suidas, acsi celebre quoddam exemplum respexerit. Excidisse puto auctoris nomen: *Ἐκφαντίδης.* Denique *Ἐμφανὴς ἐν Πυράυνῳ* laudatur Stephano Byzantino in v. *Πάρνης.* *Euphanem* fortasse reducendum esse coniecerunt Salmasius, et cui Berkelii editio non præsto fuit, Meinekius in Curis criticis p. 45. Quæ coniectura qua difficultate premeretur, ipse sensit Meinekius. At nec Salmasio ea satisfecit. Qui post alia hæc postremo adscripsit: *Ἐκφαντὶς legendum. Ecphantis* Salmasio audiebat, qui rectius appellatur *Ἐκφαντίδης.* Atque hoc fortasse scripserat Stephanus. Non nimium distat *Ἐμφανής.* Certe de poeta valde antiquo agi hoc loco, illud persuadet, propter quod eum laudauit Stephanus: quum scriptores longe plerique, duce Aristophane in Nub. 322. *τὴν Πάρνηθα* dicere soleant, genere feminino. Eundem versum sine auctoris nomine profert scholiastes Aristo-

phanis l. l. Quod igitur antiquus poeta præiuerat argumentum, mirum sane et obscurum, *Πύραυνον*, id postea repetiit et suo more exsequutus est Alexis. Verba poetæ recte puto disposuisse Meinekium,

Ἐς κόρακας· ἥξω, φέρων
δεῦρο τὸν Πάρνηθ᾽ ὅλον.

Nisi malis *ἥκω*. Ligna aliquis apportabat: cf. schol. ad Aristoph. Acharn. 347. In medio *τε* insertum habet scholiastes Aristophanis. Idque apud Stephanum Holstenius quasi ex coniectura, at Salmasius, si Salmasii manum recte assequutus est Gronouius, ex libro ms. restitui iussit. Quicumque primus eam particulam inseruit, de suo addidisse videtur, vt efficeretur versus trochaicus tetrameter. Qui apud Photium in v. *Πάρνης* legitur versus, metro caret, nec probat id, quod ibi probari vult Photius. Integrum habebis versum, si initium ita suppleueris:

παρὰ τὴν Πάρνηθ᾽ ὀργισθεῖσαι φροῦδαι κατὰ τὸν Λυκαβηττόν.

Non valde placet *ὀργισθεῖσαι*: sed nunc non suppetit, quod melius sit. Aliquantisper cogitaui, an forte hic versus ad priores Nubes referendus esset.

Quæ monui ex scholiis Aristophanis, ad definiendam Ecphantidæ et Choerili ætatem, ea confirmat Hesychius altero loco, quem interpunctione adiuuandum censeo ita:

Χοιρίλον Ἐκφαντίδος. Κρατῖνος τὸν Ἐκφαντίδος. οὕτως εἶπεν αὐτὸν τὸν Χοιρίλον.

Legitur *Χορίλον* — *Χορίλλον*. Quod corrigendum esse viderunt iam alii, quos vide in edit. Alberti. Cratinus haud dubie idem, quem scholiastes Aristophanis componit cum Ecphantide: Cratinus antiquus. Quin *Ἐκφαντίδης* verum poetæ illius nomen fuerit, dubitari non potest, et Hesychio in v. *Ἐκκεχοιριλωμένη* recte restitutum fuit *Ἐκφαντίδη* pro *Ἐκφαντίδι*. Hic tamen *Ἐκφαν-*

τίδος retinendum puto. Quid enim, si Cratinus, quum Choerilum, suppresso nomine, τὸν Ἐκφαντίδος diceret, etiam in forma nominis immutata atque detorta acumen quæsierit? Ἐκφαντὶς speciem feminini nominis habet. Longe autem a vero aberrat Valesius, qui Choerilum hic intelligi iubet Alopes auctorem, Tragicum. Sed in Valesii nota etiam illud memorabile est, quod a scholiasta vetere ad Aristot. de arte poetica Choerilum Tragicum memorari dicit. Quis ille scholiastes? ad quem Aristotelis locum? Nulla Choerili mentio in Aristotelis de arte poetica libello. Aut ego magnopere fallor, aut Valesius in mente habuit commentarium in Aristotelis Rhetorica anonymum, cuius supra mentionem feci, vbi in Choerilo versabar Tragico, et infra accuratius facturus sum. Omnino nulli Choerilo ex iis, quos vidimus, cum Choerilo Ecphantidæ conuenit. De quo nihil constat præter ea, quæ ex Hesychio didicimus: adiutorem fuisse Ecphantidæ in comoediis scribendis, et eiusdem θεράποντα. Retinere quam vertere malui vocem græcam ambiguæ significationis. Quodsi enim aliquis contenderit, eum, a quo illam Hesychius acceperit, non alio sensu θεράποντα Ecphantidæ dixisse Choerilum, quam quo Homerus Patroclum Achillis, Merionem Idomenei dixit θεράποντα: non video, quo modo ille refutari possit. Non minus ambiguum est, quo sensu τὸν dixerit Cratinus in verbis τὸν Ἐκφαντίδος. Fuit quum similem iocum latere putabam in Aristophanis verbis Vesp. 151. Vt etiam Choerilum ibi tetigerit Aristophanes. Sed non credo.

Verum Choerilum Ecphantidæ in comoediis scribendis adiutorem fuisse, etiam illo fragmento, quantumuis exiguo, euincitur, a quo Hesychius loco supra adscripto occasionem sumpsit de Choerilo dicendi.

Ἐκκεχοιριλωμένη.

De comoedia quadam Ecphantidæ sermo est. Quod Hesychii verborum nexus indicat: Ἐκφαντίδῃ γὰρ — ὃς

συνεποιεῖτο κωμῳδίας. Illam comicus aliquis, fortasse iterum Cratinus, dixerat ἐκκεχοιριλωμένην. Quo autem sic dixerit sensu, adhuc dubium est, quum ea ipsa verba, quæ explicationis caussa addidit Hesychius, fuerit qui corrigi iuberet. Explicat Hesychius ita: οὐ Χοιρίλου οὖσα. Casaubonus in Athen. l. l. Anim. p. 183: *scrib.* τοῦ *X. vel* ὡς *Χοιρ.* οὖσα. Nec sane id temere. Vt ἐκβαρβαροῦσθαι est *barbarum reddi* et *fieri*, vt ἐκδωριοῦσθαι, ἐκδρακοντοῦσθαι, *Doriensem*, *serpentem fieri*, et multa eiusmodi alia: sic ἐκκεχοιριλωμένη erit comoedia, *quæ eo euasit, vt instar Choerili* siue *Choerilea sit.* Vel erit, quod non minus permittere videtur græci sermonis natura, comoedia, *interueniente Choerilo, talis facta, qualis est.* Vtrum velis præferas: semper necessaria erit Casauboni emendatio. Ego vero ægre adducar, vt hic aliquid emendandum esse credam. Enimuero alia verborum classis est, in quibus ἐκ vim habet non eam, quam exposui, sed priuatiuam. Cf. Valken. diatr. in Eurip. p. 196. sq. Sopatri apud Athenæum VI. p. 230. F. est: ἐκταλαντωθείς. Hæc sibi sic satis similia sunt: ἐκκεχοιριλωμένη et ἐκταλαντωθείς. Et magis similia forent, si Sopater scripsisset ἐκταντaλωθείς. Id quod fortasse scripturus fuisset, si per metrum licuisset. Hæc prorsus comica sunt. Non alienus est Alexidis lusus apud Athen. XII. p. 552. F. πεφιλιππίδωσαι: *Philippides factus es.* Contrarium foret ἐκπεφιλιππίδωσαι: *Philippides esse desiisti.* Secundum hæc ἐκκεχοιριλωμένη erit comoedia, *ex qua exemtus Choerilus, in qua nihil Choerili:* οὐ Χοιρίλου οὖσα. Talem igitur comicus ille, siue Cratinus siue alius, opponebat fabulis Ecphantidæ iis, in quibus manus Choerili adiutrix conspicua esset. Qua in re auxilium illud constiterit, et ad quem finem pertinuerit, frustra nunc labores scire. Sic Socratem Euripidi συμποιεῖν, dictitabant poetæ comici, teste Diogene Laertio in Socrate. Quæ exprobratio si quid vsquam veritatis habuit, in philosophica et sententiosa Euripideæ tra-

goediæ conformatione quærendum est. Contra Choerili, quod Ecphantidæ præberet auxilium, in ipsa elaboratione et scriptione positum fuisse videri potest. Omnino valde frequentatus hic fuit lusus comicis, vt alios poetas passim vel hoc vel illo adiutore vsos esse criminarentur. Vnde natum poetæ comici, nescio vtrum Aristophanis an Phrynichi, in Sophoclem dicterium apud Diogenem Laertium in Polemone.

Hesychii Ἐκκεχοιριλωμένη quid sibi velit, ita nunc liquet, nihil vt reliquum sit, quod explicatione egeat. Neque altius præter illud, de quo exposui, ibi latet acumen. Interea tam largam ludendi materiam præbebat *Choerili* nomen, pæne vt singulare foret, si ea materia se abstinere potuerint poetæ comici. Et fortasse Choerili comici nomen, tum vero etiam Choerili tragici, non vno modo detortum, et in obscoenum partim sensum conuersum haberemus, si plures exstarent antiquorum poetarum comicorum fabulæ. Equidem nescio, an χοιρίλος et ipsum illud verbum ἐκχοιριλόω obscoena significatione etiamnum exstet apud Hesychium. Quamquam ibi non respicitur Choerilus. Hesychii glossa impeditissima est: Ἐκχοίρηκες· ἐκχοιρηλωμένοι. Λάκωνες. Eadem apud Phauorinum. Toupii aduersaria inspicere non datur. Videant viri eruditi, an forte scribi possit: Ἐκχοίρηκες· ἐκκεχοιριλωμένοι. Ἐκχοίρηκας vel ἐκχοίρακας dicere potuit *viduos* rudium hominum sermo. Quod grammaticus modestior, etymologiam vocis demonstraturus, ambiguitatem significationis retinens, explicuerit: ἐκκεχοιριλωμένοι, *porculo priuati*. Verum, vt dixi, ad Choerilum poetam hoc non pertinet. Obscoenitatis etiam aliquid in fragmento, vt bene coniecerunt, Sophronis latere suspicabar: εἶ τὰ τῶν χοιραγχᾶν. Quod nunc cum ipso Apollonio edidit Bekkerus Anecd. vol. II. pag. 542. pag. 625. De eo disputauit Bastius ad Gregor. Cor. pag. 352. 594. Sylburgii coniecturæ nihil tribuo. Mihi obuersabatur Aristophaneum illud ex Vespis v. 1355. Nunc

quidem non exstat nisi nomen proprium *Χοιρίλος*. Verum hoc ipsum nomen dubitare nos non sinit, quin etiam *χοιρίλος*, *porcus*, vel scriptum fuerit olim, vel scribi potuerit. Deminutiui quædam species est, vt *ναύτης*, *ναυτίλος*, *πομπός*, *πομπίλος*. Hinc aliquis nouum nomen, et quasi nomen proprium effinxit, *Χοιρίλη*. Suidas: *Χοιρίλη· ἡ Ἑκάβη*. Lycophronem hoc sapit vel similem poetam. Acute Stephanus in thesauro tom. IV. p. 549.: *forsan quod multiplici prole scrofam æquarit*. Eadem imago est apud Iuuenalem VI. 177.

De Choerilo Ecphantidæ pauca habuimus ex Hesychio. At bene sit Eudociæ, quæ de homine tam ignoto saltem aliquod qualecumque testimonium ediderit. Vide Choerili Samii operum apud illam recensum:

> *ἔγραψε δὲ ἐπιστολὰς πολλὰς, καὶ ἐπιγράμματα, καὶ κωμῳδίας.*

Choerilum Samium, epicum poetam, comoedias scripsisse, quis credat nisi ineptus? Choerilo Samio per errorem datum est, quod cadit in Choerilum Ecphantidæ. Quamquam dubitari potest, an hic nec comoedias scripsisse recte dicatur, nec comicus apte appelletur. Hesychius tantum hoc dicit, adiutum fuisse ab Choerilo Ecphantidem.

Video nunc, Harlesium, Eudociæ testimonio, eoque solo, vsum, Choerilum aliquem comicum poetam, sed dubitanter, statuere in vol. II. bibl. gr. p. 428. Hesychium non adhibuit.

CAPUT VIII.

Choerili Samii dictio et nouus in poesi epica conatus.

Epica Homeri poesis, vtut egregia, tamen sui tantum temporis erat. Quod non ita dico, acsi Homeri lectio vllo tempore potuerit non delectare. Sed Homerica poesis non nisi eo tempore, quo floruit, in Græcia florere potuit ac debuit. Habet enim hoc epica poesis, vera illa, cuius perfectissimam normam agnoscimus Homericam, habet hoc proprium, vt non in possessione virorum eruditorum, sed quasi viua sit, et coram populo recitanda; vt cum populo nascatur, in ore populi crescat, et si populus deorum et antiquorum heroum facinora, quod præcipuum est epicæ poeseos argumentum, audire et secum repetere dedidicerit, obmutescat. Id vero tum factum est in Græcia, quum populus ea ætate, quam pueritiam dicere possis, peracta, partim ad res serias tristesque, politicas maxime, easque multo, quam antea, impeditiores, abstrahebatur, partim epicæ poeseos pertæsus, vt est animus humanus nouitatis studiosus, ex aliis poeseos, quæ tum nascebantur, generibus nouum ac diuersum oblectamenti genus primo præsagire sibi, deinde haurire coepit; quo tempore etiam ad tractandam orationem prosam sese præparabat animus. Factum est igitur aliquanto post collecta et perscripta a Pisistrato, et si qui fuerunt Pisistrati socii, carmina Homerica. Quæ enim fecerunt, optimo illi consilio et numquam satis laudando, Solon, Pisistratus, et fortasse Hipparchus: ille, quod certum in canendo rhapsodis

ordinem præscripsit; hi, quod litteris consignari et Panathenæis, quinto quoque anno, cani Homerica iusserunt: ea tantum abest, vt probent, illo tempore lætiore et nouo quasi flore effloruisse Homerum, vt animos populi ab Homeri auditione quodam modo alienatos arguere videri possint. Quæ canitur poesis epica, magis floret, quam quæ legitur; quam rhapsodi sua sponte suoque arbitrio canentes auribus populi approbant, magis, quam quæ sub auspicio legis latorum canitur. Sane etiam tum, et vsque ad Antimachum, ne vlterius pergam, decantata sunt Homerica carmina, ac frequentius etiam decantata, quam lecta; exstiterunt inter rhapsodos passim, qui arte et successu insigniter excelluerunt, veluti Cynæthus: neque enim cito a consuetudine præstantissimi atque antiquissimi poetæ desuefieri potuit græci populi animus. Sed splendidissima et propria Homericæ poeseos ætas, ea, qua sponte quasi sua inter populum et cum populo viueret, non pertinuit ad tempora illa, quæ fuerunt inter Pisistratum et Antimachum. Quod quum vel eo probari possit, si aliorum poeseos generum, tunc non solum nascentium, sed iam florentium, velut iambici, rationem habeas: tum vero clarissimis argumentis euincitur, si quis artis rhapsodorum statum, quo fuit Platonis et Xenophontis tempore, ad quem iam diu ante Platonem appropinquasse illam necesse est, spectet, et nascentis Homeri interpretationis semina, obscurissima quidem, sed tamen semina, rependat. Ne quid de ea vi adiiciam, quam prosæ orationis et philosophiæ origo in populum habuerit. Hæc, quæ digito monstrare satis habui, omnia, interpretationis origo, in quam rem quædam obseruauit Wolfius in prolegomenis p. 161. sq. artis rhapsodorum lapsus, aliorum poeseos generum, philosophiæ, et prosæ orationis incrementa, conspici non poterant in ea ætate, qua populus sensum ad Homeri auditionem aptum, vt antea, habuisset. Non quasi populum tum eruditum et

doctum fuisse putem: sed tamen aliquam paullatim nascentis apud singulos doctrinæ atque eruditionis vim in se senserit ille necesse est.

Hæc si Homericorum carminum illo æuo sors fuit, id est, carminum longe celeberrimorum, non alia fuisse potest minus celebrium. Vt in Panathenæis Homerum, eumque solum, decantatum esse testatur Lycurgus, ita vbique rarius quam Homeri decantata fuisse videntur recentiorum poetarum epicorum atque Solonem proxime præcedentium, veluti Pisandri, carmina. Minus etiam populari fauore gauisi esse possunt, qui illa ipsa ætate, inter Pisistratum et Antimachum, ad Homericum epos excolendum animum contulerunt poetæ. Atque profecto hi non fuerunt multi. Quod et ipsum argumentationem meam adiuuat. De Panyasi Suidæ sunt verba: *σβεσθεῖσαν τὴν ποιητικὴν ἐπανήγαγε;* quæ haud dubie de epica poesi dicta atque ita intelligenda sunt: Panyasin primum post longum temporis spatium epicum carmen, idque longius et graui materia, vt obseruat Quinctilianus, famaque nobile, apud posteros maxime, condidisse. Hac ratione ducti Panyasin Alexandrini grammatici receperunt in canonem suum, in quo illi constituendo non solum præstantiam auctorum absolutam, sed etiam id spectasse videntur, vt reciperentur, qui aliquod scribendi genus, diu neglectum, rursus aggredi et redintegrare bono consilio, successu quocumque, at insigni tamen exemplo, studuissent. Neque vero Panyasin bonum poetam fuisse negauerim. Bonus fuerit: in vitam Homericum epos non reuocauit; nec potuit reuocare illo tempore.

Panyasin excepit Choerilus, nouo ille conatu memorabilis.

Quæ post Homerum et Hesiodum condita sunt vsque ad Panyasin carmina epica et Panyasidis Heraclea ipsa, ita comparata fuerant, vt Homericum epos referrent. Quæ similitudo et in dictione cernebatur, qua de

re postea dicturus sum, tum vero et in argumento. Materiam illis poetis omnibus præbuerant antiquæ deorum et heroum fabulæ. Quæ res non potuit non grauis esse caussa, cur epici illi poetæ minus minusque placerent. Argonautarum, heroum Thebanorum, Atridarum auctoritas crebra repetitione decrescebat. Reuixit quidem, et immortali gloria enituit in theatro, in carmine melico, veluti Stesichori: sed propter nouas artis magis compositæ et quasi artificiosioris illecebras. Nuda facinorum illorum expositio, qualis est epica, displicere paullatim coepit, vel placere et animos delenire desiit. Id Panyasidi maxime accidisse suspicor. Cuius ætate mirum profecto, si Herculis facinora magnopere delectare auditores et quasi abripere potuerint. Vt taceam, iam Pisandrum idem antea argumentum tractasse.

Quare Choerilus quum sentiret, materiam carminis epici eam, quæ esset in antiquis fabulis, iam occupatam esse ab aliis et exhaustam, qua de re suauissime conquerentem audiemus ipsum, siue, quod idem est, eo rem deuenisse, vt antiquarum fabularum etiam noua et ingeniosa tractatio non amplius placitura esset, materiam carminis ex historia, eaque nouissima, petens, victoriam Atheniensium a Xerxe reportatam cecinit. Consilium nouum, atque, vt videri potest, laudabile, si argumenti magnitudinem, et quam grauis tunc apud Græcos esse debuerit Persicarum rerum memoria, reputes. Nec sane fieri potuit, quin, vt factum est, insigni tum laude Choerili carmen prosequerentur æquales. Tamen non vereor, ne iniuria fiat Choerilo, si affirmemus, laudem illam neque Homeridarum celebritati gloriæque comparandam fuisse, et breui post Choerili mortem, neque immerito, imminutam esse. Alexandrinorum grammaticorum, vt Platonem nunc sileam, de Choerilo quæ fuerit sententia, videbimus. Apud quos fortasse illud ipsum obfuit Choerilo, quod materiam carminis non ex antiquis fabulis, vt epici poetæ anti-

qui, sed ex historia recenti petiisset. Et iure hoc illi reprehenderunt, si reprehenderunt. Nam præter fabulas antiquas, vix vllum argumentum conuenire epico carmini, ex natura carminis demonstrari posse videtur, et aliorum poetarum exemplo probari potest, qui inter alios populos epica carmina ex historia recenti conscribere instituerunt, successu aut numquam aut vix semel felici. In quam rem vt saltem aliquid afferam, eum, qui ex recenti historia epos conscribere voluerit, in summum discrimen adducit incertum poeseos atque historiæ confinium: quum, si pressius ille historiam sequatur, verendum sit, ne epos faciat annalium simile; si arti inuentrici indulgeat, periculum sit, ne popularibus, de vero rerum progressu et euentu probe edoctis, iusto mendacior videatur. Deinde, vt ad singula descendam, quum deorum ministerio ægre careat epica poesis, in descriptione rerum recens actarum dii aut plane non possunt inseri, aut nonnisi tales, de quorum præsentia et efficacia poeta non bene persuadeat auditoribus. Vt nostrum quoque poetam raro et breuiter deos adhibuisse existimo: qua ipsa re quantum inferior esse debuerit Homero, explicare non opus est. Sed hæc indicare tantum volui. Choerilum insignem arte fuisse, et in singulis carminis partibus egregium poetam credimus; immo demonstrare possumus exemplis: sed de virtute vniuersi poematis illius et effectu ita statuimus, vt nouo eum exemplo probasse putemus, quod poetarum proxime præcedentium, veluti Panyasidis, opera abunde ostendissent, eo tempore iam intercisum fuisse epicæ poeseos florem.

Vtile fuerit, et ad illustrandam Choerili historiam opportunissimum, leui adumbratione persequi, quæ non multo post Choerilum poesis Græcorum epica habuerit fata. Vnde, quasi filo ductum, vsque ad Alexandrinos poetas, et si velis, etiam altius descendere licebit. Quæ disputatio quum ad sermonem maxime per-

tineat, ante omnia inserenda sunt quædam de sermone epicorum post Homerum poetarum, Choerili quoque.

Ab Homero inde vsque ad Choerilum intacta mansit Homerica simplicitas. Loquimur de sermone. Quamquam et dispositionis simplicitatem addere possis. Sed de sermone hic loquimur, quoniam de dispositionis apud singulos arte certi aliquid pronunciare audacioris esse videatur, in tanta testimoniorum penuria. Hesiodi schola in conformatione orationis quædam singularia habuit, vti ferebat rei natura: nam æolica fuit. Atque etiamnum talia quædam restant. Sed hæ res etiamsi plures numero ac grauiores fuerint, quam fuisse probabile est, non tamen tanti erant, vt Hesiodeus sermo tamquam minus simplex opponi posset Homerico. Deinde Hesiodeæ scholæ disciplina nec diu floruisse nec magnam in epicos poetas proxime sequutos vim exercuisse videtur. Igitur Homerico sermone post Homerum siue post Homeridas loquuti sunt epici poetæ omnes, multi illi numero, quos diligenter enumerare non attinet: poetæ cyclici, Asius Samius, Eumelus in carminibus, quæ reliquit, epicis. Vid. fragmentum Eumeli apud Ruhnken. in ep. cr. II. pag. 221. sq. quod auctoritate sua confirmat et insigni supplemento auget Pausanias II. pag. 119. Qui quod aliquoties commemorat et germanum Eumeli foetum, tantum non vnicum, prædicat, lib. IV. pag. 287. p. 561. et lib. V. p. 427. carmen Eumeli prosodium, non epicum, sed doricum fuit, Messeniis quippe scriptum. Homerico sermone Naupacticorum, et Phoronidis, aliorumque carminum auctores incerti; Pisander etiam, et Panyasis. Quos omnes epicos dixi sensu latiore, quum antiquissimas fabulas epico genere, licet quidam, veluti Eumelus fortasse, arte magis historica, quam epica, tractauerint. Fuerunt inter horum poetarum carmina, quæ ab hominibus imperitis ipsi Homero assignarentur, velut Epigoni, Ilias parua, Cypria, quin immo Cyclus; vel ob argumentum Iliadi

atque Odysseæ proximum, vel ob sermonis similitudinem. Quæ enim illis poetis inerant, ab Homeri sermone recedentia et aliena, multitudinem facile fallebant, et grammaticum fallebant non vnum. Fuisse autem talia multa apud illos poetas, quum ex ingeniorum cultu apud omnes populos cum tempore paullatim progrediente, tum vel ex patria dialecto, qua singuli poetæ in vulgari consuetudine vtebantur, et cui in scribendo certe non omnes vbique renunciare potuerint, colligitur. Vt in ipsis Homericis multa insunt non Homerica. Sed quantocumque numero talia fuerint apud poetas eos, quos dixi, exigua fuerunt et pauca numero, si cum conformatione orationis eorum tota, in vniuersum Homerica, contenderentur.

Atque hoc sensu etiam Choerilo Homericum sermonem tribuere non dubito. Certe non longe abfuit a simplicitate Homerica. Documento erunt fragmenta. Verum si multitudinem rerum et notionum reputes, quæ bellum Persicum canenti enunciandæ erant, quum iisdem supersedere possent Iliadum, Thebaidum, Argonauticorum conditores, non potuit non fieri, quin multa Choerilus inferret vocabula non Homerica, et inter ea fortasse quædam, quæ versibus historicum magis quam epicum colorem conciliarent. Nec mirum est, si structuræ verborum nexusque commutatio post Homerum per populum et per tot poetas, etiam per auctores prosæ orationis facta, in Choerilo quoque passim comparuerit. Præterea, quod vel ex præstantissimo Choerili eorum, quæ ad nos peruenerunt, fragmento intelligas, oratione vsus est magis, quam Homeri, figurata. Etiam insigniora exempla præbebunt fragm. VIII. et fr. XI. XII. Quibus tamen nolui nunc vti, quia suspicio quædam obtinet, an ea non sint ex carmine epico. Alia res est et quodam modo cognata, qua Choerilus a simplicitate Homerica recessit, et æuum ad doctrinam inclinatum prodidit. Quam non ab re fuerit commemo-

rare hoc loco, etsi ea magis ad artem, quam dicimus arctiore sensu, poeticam, et ad dispositionem carminis, quam ad sermonem, pertinet. Exempla ille amabat impropria, et a rebus reconditis desumpta. Nimirum his carmini suo nouitatem, quam difficilem esse ad assequendum conquestus est in exordio illo operis, conciliare studebat. De dispositione carminis Choerilei non habeo quod addam. Nisi quod simplicem fuisse et ad Homeri exemplar compositam credibile sit, quum idem in sermone simplicitatem Homeri non deseruerit. Cognata est huic de dispositione quæstioni altera de ambitu carminis Choerilei, quam mox agitaturus sum.

Hæc de opere Choerili primario, epico, dicta sunto. In aliis carminibus, vt videtur, minoribus, orationi, quam dixi, figuratæ etiam cupidius, quam in carmine epico, studuisse videtur Choerilus. Exemplum inter fragmenta afferemus luculentum: metaphoras audacissimas cum sermone et verbis simplicibus.

CAPUT IX.

Antimachus et poetæ Alexandrini. Asius Samius.

Sic quum per sæcula sex in epica poesi Homericus sermo tantum non idem obtinuisset, exortus est is, cuius ego grauiores, quam a quopiam animaduersum video, in poesi epica innouanda et quasi regenda partes fuisse suspicor. Antimachum dico Colophonium. Qui, quantum quidem ad argumentum carminis pertinet, Choerilo relicto, ad antiquum pristinorum poetarum epicorum exemplum reuertit, bono consilio, sed, quod ad sermonem, ea, quæ apud poetas præcedentes singularia et ab Homero aliena fuisse dixi, insigniter auxit, vel potius nouum sermonem, pro Homerico ac simplici, doctum atque artificiosum, in poesin epicam introduxit. In quam rem quum multa cumulari possint, hic ad vnum prouoco Dionysium, qui cum Empedocle comparat Antimachum, de verborum compos. pag. 22. ed. Sylb. Quo iure illud fecerit Antimachus, dubitari potest. Temere certe non fecit, nec sine successu, vir, nisi mendacii aut imperitiæ arguere velimus antiquitatem, ingeniosus. Ac nescio, an, si qua culpa est in isto novitatis studio, ea minus poetæ, quam ætati, qua ille vixit, tribuenda sit. Nimirum Antimachus, quum intellexisset, poesin epicam a populo in manus eruditorum propediem venturam esse, immo, ex parte iam venisse, spiritumque ideo eius ac vigorem euanuisse, remansisse tantum in vsu poetarum formam Homeri-

cam atque inuolucrum, id est, simplicitatem in disponendo et eloquendo, quæ verendum erat, ne æterna repetitione fieret ieiuna: artificiosam et difficiliorem dispositionem, doctum et adhuc in epico carmine insolentem sermonem inuexit; verbo, doctum epos scripsit, et quod cani non posset. Qua in re, etiamsi successum non respicias, id magnopere laudandum est, quod ille, quid tempori suo aptum esset, ac non aptum, probe perspexerit, et quod, quum semel epos scribere constituisset, libero consilio maluerit eruditis scribere, quam inane periculum populo placendi facere. Iam si de successu operæ quæras, etiam in antiquitate fuerunt, qui in Antimachi et dispositione et sermone multa reprehenderent. Dispositionem intellige carminis vniuersi constructionem, et singularum partium, episodiorum quoque, a quibus non alienus fuisse videtur Antimachus, inter se compactionem. Quinctilianus noto loco Antimachum a Panyasi *disponendi ratione* superari scribit; immo, *et affectibus, et iucunditate, et dispositione, et omnino arte* defici Antimachum. De affectibus et iucunditate, qui fuerint et non fuerint apud Antimachum, iudicium nos facere non possumus. *Vim* tamen et *grauitatem* eidem tribuit Quinctilianus. De dispositionis et omnino artis defectu ægre credo. Tam seueram Quinctilianus, aliique, quos sequutus est Quinctilianus, sententiam tulerunt, comparatione inter Antimachum et Homerum instituta, qui vtique arte omnibus numeris longe longeque Antimacho maior fuit: quamquam ea Homeri ars et ipsa longe alia est, quam qualem illi animo suo informauerant, vnitatis, quæ vocatur, epicæ in Homero admiratores. In dispositione Antimachi non pauca fuisse vitiosa, artem longe Homerica inferiorem, et quæ præ nimia arte interdum non esset ars, non negauerim. Eloquendi genus *minime vulgare* in laudibus Antimachi ponit Quinctilianus. Contra alii singula vituperant. Recte hi quidem, puto. Nam

quædam non solum pro epica consuetudine insolenter, sed contra omnem linguæ vsum vsurpasse videtur Antimachus. Tam difficile est seruare modum. Magnam vtique apud eruditos celebritatem nactum est Antimachi epos. Quod quæ testantur testimonia veterum diserta, quum eadem ad Choerilum spectent, infra a me, alia occasione, commemorabuntur. Verum id, quod mihi persuasi, digito monstrare placet, etsi ad Choerilum non pertinet, quam vim in poesin Græcorum seriorem, epicam maxime, habuerit Antimachi auctoritas.

Sermo Alexandrinorum poetarum, quibus adiungere soleo Euphorionem, ab Homerico sermone mirum quantum discrepat. Sed tantum discrepat, vt aliquid hunc inter et illos medium interfuisse oporteat. Vt totum illud doctrinæ studium, in quo laus Alexandrinorum summa posita est, non ab ipsis inuentum fuit, sed ab aliis multo ante tempore præparatum et egregie excultum: ita tempus fuisse necesse est ante Alexandrinos, quo eodem modo vel simili, id est, docto, loquuti fuerint poetæ. Tum vero hos poetas, vel vnum ex iis celeberrimum fuisse et magno exemplo necesse est. Alioquin illum non imitaturi fuissent Alexandrini. Horum autem sermo, de epicis maxime loquor, nulla alia re doctus, reconditus, insolens, difficilis, Alexandrinus, factus est, nisi eo, quod primum suo illi ingenio suoque arbitrio in verborum significatione, compositione, constructione atque nexu non pauca nouarunt; deinde, quod ex aliorum poeseos generum dialectis atque sermone, ex lyrico genere, tragico, et ex vulgaribus gentium quarumdam dialectis multa receperunt, quæ ab antiqua sermonis simplicitate, Homerica, abhorrerent. Ex his multa illi haud dubie suo Marte vsurpauerunt. Multa alium eumque altiorem fontem habuisse debent. Neque enim subito, neque tam sera ætate epicæ poeseos transitus a simplicitate sermonis ad do-

ctum et fucatum sermonem fieri potuit. Iam vero, quum totum hoc, quod descripsi, nouandi studium iam ante Alexandrinos et Euphorionem in Antimacho deprehendere possit, quicumque eius fragmenta excutere voluerit, nonne veri simile est, illos non solum ea, quæ demonstrari licet, sed alia eiusdem generis multa, de quibus nunc nonnisi suspicioni locus datur, Antimacho debere, poetæ præclaro, et quem indole doctrinæque et insolentiæ amore supparem sibi sentirent? Vt nunc res est, in tanta Antimachi fragmentorum breuitate imitationis Alexandrinorum indicia in verbis singulis potissimum constant: sed constructionem quoque et nexum orationis apud illum fuisse Alexandrinis quam Homero propiorem, vel certe inter vtrosque medium, sunt, quæ suadeant. Nicandrum æmulatorem fuisse Antimachi, diserte iam testatus est Nicandri scholiastes. Quod indicare non omisit Schellenbergius. Sed idem alios poetas Alexandrinos et Nicandro antiquiores egisse; tum vero, quod paullo ante posui, Alexandrinis multa communia fuisse cum Euphorione, qui et ipse Antimachi passim imitator, exemplis probarem, nec sterilis foret disputatio, si huius esset loci. Sed profecto exemplis non egemus. Fuerit enim, qui ista omnia detorqueat et remoueat. Fuerit, qui ostendat, noluisse Alexandrinos, noluisse Euphorionem imitari Antimachum, et rursus Euphorionem et Alexandrinos se inuicem imitari noluisse. Nihil impedit. Summa et caput disputationis nostræ manebit. Hoc manebit: illos pariter omnes rara, recondita, et partim prorsus, partim pro epicorum consuetudine insolentia, ac propterea difficilia, et quæ enodationem a grammaticis exigerent, amauisse: idque forte fortuna sic accidisse, et sine mutua imitatione, ægre sibi aliquis persuadeat. Illud, quod monui, Euphorionem et Alexandrinos poetas noluisse fortasse imitari Antimachum, non sine caussa monui. Videtur enim demonstrari posse, et Euphorionem et inter Ale-

xandrinos poetas saltem vnum non nimis honorifice sensisse de Antimacho. Quod Callimachi testatur fragmentum CCCCXLI. et de Euphorione, Cratetis epigramma, infra apponendum. Itaque hi haud dubie multo sibi Antimacho disertiores visi sunt, et imitari eum vel noluerunt, vel imitationem non sunt professi. Sed datur imitatio non voluntaria, et quæ ei demum manifesta sit, qui tertius accesserit.

Alexandrinorum et Euphorionis æqualis fuit Rhianus, Choerilo, si Suidæ fides, fatis similis, et nobis memorandus, quoniam sicut ille, exemplum dedit non ignobile carminis epici ex historia petiti. Messeniaca dico. In quo carmine argumentum non ineptum et paullo, quam ab Choerilo, melius electum videri potest, quum belli Messenii historia a Rhiani ætate longissime remota, quum valde incerta, vt vel ex Pausania apparet, et hinc quodam modo fabulosa esset. Cæterum non est cur moneam, multum interfuisse Choerilum inter et Rhianum: quum hic doctis scripserit, ille popularem plausum captauerit, et vero aliquatenus acceperit. In Rhiani carmine Aristomenem nihilo minus clarum esse quam Homero Achillem, verba sunt Pausaniæ. Ac dubitare subit, an forte in fatis et facinoribus Aristomenis, quæ decantat Pausanias, vnum et alterum a Rhiano si non fictum, at tamen exornatum sit. Sermo illi fuisse videtur aliquanto simplicior, quam Euphorionis et eorum, qui inter Alexandrinos siue doctissime scripserunt siue obscurissime; sed Alexandrino colore tinctus. Rhianum iuxta Euphorionem et Parthenium in deliciis habuit et imitatus est Tiberius. Testis Suetonius in Tiberio cap. LXX.

Rhianum commemoraui, non, quod nullum præterea illa ætate simili argumento carmen scriptum fuisse existimem, sed quod nullum maiorem celebritatem meruerit. Longe plerique tum ex antiquis fabulis, inexhausto quasi fonte, sua deriuarunt: in sermone non

omnes eodem modo, sed hi, quod modo innuebam, magis, illi minus, vt ita dicam, Alexandrini. Sic moderatioribus adnumerandus Apollonius.

Inter seriores et recentissimos poetas epicos vix vnus est, qui Alexandrinum habitum prorsus exuerit. Verum, vt accidit interdum, vt, quæ olim facta esse videmus, multo post tempore iterum fiant, licet aliis conditionibus: accidit sæculo quinto, quod cum immutatione epicæ poeseos, per Antimachum facta, quodam modo comparari possit. Nimirum Quintus Smyrnæus, quum longum edidisset carmen, in quo multa quidem ab Homeri grammatica recederent, et versus heroici præsertim dignitas non parum fracta appareret, sed sermo tamen esset, ex Homero expressus, et Homericam simplicitatem redolens: Nonnus et hexametrum nouum fecit, de qua re præclare Hermannus ad Orpheum, et sermonem condidit quasi nouum, ab aliorum sermone facile distinguendum, et quo deinceps vsi sunt, qui post Nonnum vltima poeseos epicæ specimina ediderunt. Sic dum nouam epici carminis formam moliebatur Nonnus, non dubito, quin præ aliis ante oculos habuerit et corrigere voluerit Quintum, cuius illi sermo, vt de numeris taceam, leuis et ieiunus videretur. Neque iniuria. Vt Agamemno ille apud inferos ita similis sibi ipsi fuit, vt esset dissimillimus, in quo pristinus vigor et vis vitalis periissent: ita Quinto perpetua Homeri imitatio ad hoc tantum valet, vt perpetuo admoneatur lector, quam ille Homero sit dissimilis.

Quodnam aliud dicendi genus suffecerit, Quinto relicto, Nonnus, sciunt, qui Nonnum legerunt. Ego hanc disquisitionem, quæ est de historia epicæ poeseos post Choerilum, adumbrare tantum volui. In qua quæ reticuerim, breuitatis studio, facile perspicient harum rerum scientes. Supersunt duo capita, paucis verbis illustranda, quorum vnum est de elegia Græcorum, alterum de numeris Choerili.

Quod ad elegiam attinet, non dubito, quin, quam vim Thebais Antimachi in epicam poesin, eamdem fere Lyde in elegiam exseruerit. Ille primus antiquam elegiæ simplicitatem, a Callino, Mimnermo, Tyrtæo præscriptam, temerasse, præclaro exemplo, dispositionem artificiosiorem, sed eamdem molestiorem, doctrinæ quum in rebus, tum in dictione ostentationem intulisse in hoc poeseos genus videtur. Quod quidem cum Lyda omnibus conditionibus comparari posset, elegiacum carmen fortasse nullum vsquam exstitit, si forte Hermesianactis Leontium exceperis: ac non maximo in honore fuisse apud Alexandrinos mirum illud Antimachi carmen, certe apud Callimachum non fuisse, ostendit, quod commemoraui, Callimachi fragmentum CCCCXLI. Nihilominus certum est, illas, quas Antimachi Lydæ adscripsi, virtutes, siue malis, vitia, in Callimachi et Philetæ elegia passim, ne dicam perpetuo, occurrisse. Et profecto, præ aliis poeseos generibus, elegia hoc habet, vt variis formis, hoc æuo docta, illo simplex, vel eodem æuo, apud hunc poetam docta, apud illum simplex, placeat.

Numeros si velis spectare, incidit Choerilus in eam ætatem, de qua, in tanto litterarum græcarum naufragio, nihil monendum habuit, qui epicæ poeseos historiam, ad ætates heroici versus exactam, breuiter, sed certa dextra, delineauit, Hermannus ad Orpheum. Atque etiamsi plura poetæ nostri exstarent fragmenta, ne tum quidem multa inde noua ad notitiam rei metricæ accederent. Aut fallor, aut Choerilus, Panyasis quoque, alii, etiam hac in re, postremorum Homeridarum vestigia legerunt; hac fortasse lege, vt de illorum, quæ ipsis videretur, licentia aliquid resecarent, ipsi autem suo Marte quædam sibi indulgerent, productiones quasdam et correptiones, quæ Homeri auctoritate carerent. Antimachum credibile est diligenter, et fortasse maiore, quam Choerilum, cura prouidisse,

ne hac in re committeret, quod crimini esse posset. Cuius tamen versus vel sic non suauitatem, sed austerum illud et Antimacheum redoluisse arbitror. Eius autem mutationis, cuius auctorem Hermannus, ac recte quidem, ponit Nonnum, prima vestigia et quasi semina ego apud Callimachum reperire mihi visus sum.

Quoniam Asii Samii a me facta est mentio, non alienum fuerit, aliquot, antequam vlterius procedam, fragmenta eius inserere, quo et hoc appareat, qua ratione et quo modo Homericus dici possit illius sermo, et Asio, valde illi laboranti inueteratis lectionis mendis, tandem auxilium feratur. Quam rem ita administrare posse mihi videor, vt legi deinceps possint Asii versus, qui, vt nunc leguntur, legi non possunt. Itaque hoc modo corrigendum esse putabam, mutatis aliquot litteris, et ordine versuum restituto, Asii fragmentum, quod seruauit Athenæus XII. p. 525. F.

Οἳ δ' αὔτως φοίτεσκον, ὅπως πλοκάμους κτενίσαιντο,
εἰς Ἥρης τέμενος, πεπυκασμένοι εἵμασι καλοῖς·
χιονέοισι χιτῶσι πέδον χθονὸς εὐρέος εἶχον·
χαῖται δ' ἠωρεῦντ' ἀνέμῳ, χρυσέοις ἐνὶ δεσμοῖς·
χρύσειαι δὲ κόρυμβαι ἐπ' αὐτέων, τέττιγες ὥς·
δαιδαλέοι δὲ χλιδῶνες . . . .
ἀμφιβραχιονίσαντες ὑπασπίδιον πολεμιστήν.

Priora non egent explicatione. Vs. 3. immanem soloecismum sustuli, *χθονὸς εὐρέος*. De quo nescio quo modo factum sit, vt tam parum solliciti fuerint viri docti. Hoc igitur exemto nihil amplius mutandum censeo; qui, si quis alia exempla desideret, vbi *ἔχειν* sic cum genitiuo positum sit, hoc inter ea numeranda esse putem, quæ etiam sine exemplis ferri possint, præsertim in poeta tam antiquo. Quod ad Westoni coniecturam attinet, approbatam Schweighæusero, vt soloecismum illum taceam, quem non miramur in Westono, neminem præterit, mirum quantum interesse inter Homerica, quæ ponit, exempla Iliad. I. 317. II. 153.

et hoc, quod vult ab Asio scriptum esse, *χιτῶσι πέδον χθονὸς ἷκον*. Non magis opportune Homeri memor fuit Westonus ad versum Asii eum, qui mihi est quartus. Cui hac quoque in re obsequutus est Schweighæuserus. Equi apud Homerum Il. XXIII. 367. quo loco vsus est Westonus, currunt; Samii apud Asium procedunt lento gressu. Præterea codicum vestigiis multo propius est, quod coniecit Casaubonus Anim. p. 839. *ἠωρεῦντ' ἀ*. Malim autem hoc, quam quod ad Asii locum p. 525. appositum est in margine: *ἠώρηντ'*. Ad Asium accedit Orpheus Argon. 1225. etsi venti ibi nulla mentio. Verbum *αἰωρεῖσθαι* vix antiquiorem nunc habet auctoritatem, quam Hesiodi in scuto Herculis v. 225. 234. In quinto versu toleranda videtur licet insolens forma *κόρυμβαι*. Mox quo referatur *αὐτῶν*, vel quod aliquanto melius iudico, *αὐτέων*, non dubium est, instaurato, vt a me factum est, versuum ordine. Qui quod perturbatus fuerit, non mirum in fragmento poetæ antiquissimi, et ipsa antiquitate obscurati. *Τὸν παλαιὸν ἐκεῖνον* appellat Asium Athenæus III. p. 125. C. Thucydidis testimonio, quod Casaubonus attulit, illud addiderim Suidæ enotatum in v. *κόρυμβοι: κόμην τρέφω χρυσῷ στρόφῳ κεκορυμβωμένην*. Quæ ex Nicolao Damasc. desumpta esse docuit me Schneiderus in v. *κορυμβόω*. Postrema hoc modo disposuit Schweighæuserus:

δαιδαλέοι δὲ χλιδῶνες ἄρ' ἀμφὶ βραχίοσιν ἦσαν,
. . . . . . *ἥσαντες ὑπασπίδιον πολεμιστήν.*

Facili sane coniectura, sed qua non multum proficimus. Præterea particula *ἄρ'* inane versus fulcrum est, quale ab Asio profectum esse vix potuit. Librorum antiquorum lectio est: *ἀμφὶ βραχίοσιν ησαντες* et *ἀμφὶ βραχίοσι νήσαντες*. Vel *ἀμφιβραχίοσι* vna voce, vt apud Casaubonum et in Basileensi: quamquam hoc quidem in vsum meum conuertere nolo. Hinc quod erui, versum efficit rotundissimum, et iocosa Asii magniloquentia dignissimum est. Cognata, *περιβραχιόνιον*, *βραχιο-*

νιστήρ, suppeditat Stephanus in thesauro. Particula ἄρ' indicium fortasse habet vocis, quæ olim legebatur, ἀριπρεπής, aut ἀρηρότες. Nisi hoc merum librariorum additamentum est ad explendum versum. Nam verbum ἀμφιβραχιονίσαντες quum mature corruptum fuisset, iam olim exstitisse videntur, qui inde exsculperent hæc verba: ἀμφὶ βραχίοσιν ἦσαν. Quæ illi male agglutinauerunt proxime præcedentibus. Poetæ, quod in vltimis verbis inest, acumen miror fugere potuisse viros eruditos. Quæ lucem capiunt ex versu secundo. Ὑπασπίδιον πολεμιστήν eum iocose appellat Asius, qui veste vtitur longa, ad terram pertinente. Homerus: ὑπασπίδια προβιβῶντος.

Hæc non in carmine epico heroico, sed in minore quodam poemate, scripta fuerunt. In quo genere paullo artificiosiorem dictionem, et comicum illum Margitæ colorem placuisse Asio, etiam elegi euincunt, quos conseruauit Athenæus p. 125. Nomen κνισοκόλαξ est apud Phrynichum Bekkeri p. 47. Epica et tantum non prorsus Homerica sunt, quæ apud alios leguntur.

Δίου ἐνὶ μεγάροις τέκεν εὐειδὴς Μελανίππη:

apud Strabonem VI. p. 406. Alm. Apud Pausaniam VIII. p. 599. hoc est:

Ἀντίθεον δὲ Πελασγὸν ἐν ὑψικόμοισιν ὄρεσσιν·
γαῖα μέλαιν' ἀνέδωκεν, ἵνα θνητῶν γένος εἴη.

Sic legendum, non θητῶν, quicquid viri docti dicant. Αὐτόχθονα describit Asius. Denique apud eumdem Pausaniam II. p. 125. hoc exstat Asii fragmentum:

Ἀντιόπη δ' ἔτεκεν Ζῆθόν τ' Ἀμφίονά θ' υἱόν,
Ἀσωποῦ κούρη ποταμοῦ βαθυδινήεντος,
Ζηνί τε κυσσαμένη, καὶ Ἐπωπεΐ ποιμένι λαῶν.

Vulgo: κ' Ἀμφίονα δῖον. Elisio, vel potius crasis inaudita in poesi epica. Hac de re securus fuit Valkenarius in Eurip. diatr. p. 59. Geminorum fratrum, Amphionis et Zethi nomina quum vno versu coniuncta exhibere studerent, Asio ea ratio placuit, quam dixi.

Alia Homero Odyss. XI. 261. Vtraque simplicissima. Atque Homeri quidem ratio etiam aliis poetis sese commendauit, veluti carminis auctori eius, quod est apud Pausaniam IX. p. 744. Crasin istam in nomine proprio non habet, sed in aliis frequentat Archestratus, cuius multos versus operi suo inseruit Athenæus. Id quod non reprehendimus in tali poemate. Verum ne Archestrato quidem omnia licuerunt. Portentosa sunt *κ᾽ ἐλαίῳ* et *κ᾽ ἐπείγου*, ap. Athen. VII. p. 320. B. p. 327. A. Illi loco qua ratione medendum sit, quisque videt, et ipse Archestratus monstrat p. 306. B. In altero loco alicui arriserit libri ms. lectio: *ἐμβάπτευ καὶ ἐπείγου*. Ego rectius puto et dignum hoc poeta: *κᾆτ᾽ ἔμβαπτ᾽ εὖ, καὶ ἐπείγου* etc. Hoc dicit, caput illud piscis alte immergendum et fortiter deprimendum esse in acetum, tum subito deuorandum. Secundus abhinc qui præcedit versus, ita scribendus est:

— *ἀλλ᾽ ἐς ὕδωρ μόνον ἐνθείς, καὶ θαμὰ κινῶν.*

CAPUT X.

Choerilei carminis inscriptio et ambitus. Choerili Iasensis praemia.

Absoluimus ea capita, quæ tractare primum erat et necessarium, quo suum in serie poetarum græcorum epicorum locum obtineret Choerilus. Vidimus sermonis simplicitatem, qua ad poesin epicam antiquam, Homericam ille accessit; vidimus argumenti inuentionem, qua nouum aliquid et proprium, et quod pauci ausi sunt imitari, molitus est. Dicendum nunc est, vel potius coniectandum, de carminis Choerilei inscriptione, ambitu, et fatis. De quibus rebus omnibus quod nihil certi constet, accusanda erit, præter communem temporis inuidiam, Alexandrinorum grammaticorum siue iusta siue iniusta negligentia, qua factum est, vt etiam recentiores rarius versarent Choerilum et respicerent. Adiiciemus de aliis, quæ Choerilo tribuuntur, operibus, pauca; sequentur fragmenta.

De carmine Choerili vnus omnium diserte tradit Suidas: *ἔγραψε δὲ ταῦτα. Τὴν Ἀθηναίων νίκην κατὰ Ξέρξου.* Et Hesychius Milesius pag. 40. Meurs. *ἔγραψε τὴν ἀ. νίκην κ. ξ.* Eudocia ne commemorat quidem præclarum illud carmen. Quæ negligentia tanta, vt librariis tribuendam, Eudociamque ex Suida supplendam putarem, nisi appar. ret illa, quæ postrema apud Eudociam, ex alio fonte ducta esse, quam ex Suida. Sed de in-

scriptione, quam carmini suo præfixerit Choerilus, tam parum constat, vt ne hoc quidem dici possit, quonam illud nomine apud grammaticos venerit. Ex omnibus, quos sciam, solus Stobæus nomen habet: *Περσηΐς*. Quod tenebimus, si quando compertum habuerimus, ita esse in Stobæi codicibus mss. Vid. fragm. VII. Sic Arctini carmen: *Αἰθιοπίς*. Hoc vnum offenderit aliquem, quod *Περσηΐς* nomen sit nimis ambiguum, quod etiam de Perseo carmen esse possit. Sed hoc leuius. Ego appellare soleo *Persica*. Sic Rhiani appellabatur carmen *Messeniaca*; Hellanici et Dionysii Milesii, de quo Heynius ad Apollodorum p. 923. p. 981. et ad Virg. Aen. II. exc. I. p. 299. libri fuerunt *Persica* inscripti. Quamquam hæc quidem paullo alia ratione dicebantur Persica, quam Choerili carmen. Verum et Arctini carmen haud dubium, quin non solum *Αἰθιοπίς*, sed etiam *Αἰθιοπικὰ* appellatum fuerit. In chronicis Hieronymi ad Olymp. III. etsi *Aethiopidam* non nimis abhorret ab Hieronymi sermone, malim tamen *Aethiopicam* legi ex Palatino primo apud Schurzfleischium pag. 229. et ex editionibus apud me antiquis, Veneta 1483. et Parisina 1512. Quæ quidem hæc habent ad Olymp. IV.

Illos nunc mitto, qui Choerilum Darii quoque bellum carmine suo complexum esse, prorsus inani coniectura, statuerunt. Vid. ad fragm. III. Sed vel sic ambiguum manet et dubitationi obnoxium, quod tradit Suidas, Choerilum scripsisse: *τὴν Ἀθηναίων νίκην κατὰ Ξέρξου*. Etenim hoc dubium manet, quo vsque narrationem suam extenderit Choerilus. Iam, quum diversum hac in re possit esse diuersorum iudicium, mihi nullum magis idoneum carmini suo finem inuenire potuisse videtur poeta, quam in eo loco, quo Xerxis bellum finit, vt finitum est, Herodotus: vindicata Græcia, et Ioniæ libertate præparata, post proelium, quod apud Platæas fuit, et Mycalense. Potuit in Salaminia pugna consistere Aeschylus; potuit Simonides: epici

poetæ aliæ erant rationes. Præterea credibile est, Samium poetam Persici belli non minimum momentum posuisse in patriæ vindicatione et restitutione. His ex contemplatione reliquiarum carminis earum, quæ ad nos peruenerunt, nouum accedit argumentum. Quum enim sciamus, a Choerilo, vt ab Herodoto, ad Homeri exemplum, institutam fuisse satis longam copiarum Xerxis terrestrium recensionem, nemo facile crediderit, tantum a poeta apparatum factum esse, vt sola pugna Salaminia, quæ copiarum maritimarum res et alea fuit, celebraretur. Hinc proximum est, monere de longitudine carminis. Longum autem fuisse, et plures constituisse libros, etsi nusquam singulos libros laudatos reperimus, clamant omnia. Fuit exordium et amplum, et quod magni aliquid polliceretur. Fuit prolixa copiarum Persicarum recensio. Fuit eiusmodi fabularum locus, quæ, quum ad singularia quædam facta pertinerent, non nisi in longa et vberiore narratione locum habere potuerunt: cf. fragm. V. Fuerunt similitudines et comparationes, si non multæ, at tam multae tamen, vt commune quoddam iudicium de illis ferre potuerit Aristoteles. Denique vt censeamus, bene longum fuisse carmen et pluribus libris constitisse, exigit etiam ipsa carminis celebritas. Quam neque tantam meriturum fuisset, neque Antimachi Thebaidi opponi illud potuisset, vt oppositum fuit, nisi iustum volumen impleuisset.

Igitur de Persicorum ambitu ego sic statuo: Choerilum scripsisse tribus vel quatuor vel quinque vel etiam pluribus libris totum Xerxis bellum, inde a transitu vsque ad eum finem, quem indicaui. Hoc autem lubenter concesserim, plurimum operæ impendisse Choerilum in anteriorem belli partem et Salaminium proelium, in quo plurimum momenti fuisse sciret. Reliqua breuius tractasse videri potest; et præterea ita tractauit, vt propius illa ad Salaminium proelium acce-

derent, coarctato ante animum auditoris eo, quod interfuisset, spatio temporis: quo ista omnia vnius quasi pugnæ imaginem præberent. Id suadebat ars epica.

Si iudicium facias ex Suidæ verbis: τὴν Ἀθηναίων νίκην κ. Ξ. Athenienses ante alios respexit et celebrauit Choerilus. Quod etiam sine Suida veri simile: idem fecerunt, neque immerito, plurimi. Sed nec Thermopylas tacuisse videtur poeta. Ac si semel mihi quoque hariolari licet, fortasse a Choerilo repetenda est Diodori illa, a serioribus scriptoribus recepta, sed ab Herodoto recedens, narratio, qua Leonidas nocturnam in Persica castra irruptionem fecisse traditur. Nam antiquum quemdam et præclarum siue testem siue auctorem narratio ista habuerit necesse est. Egregie autem ea conueniebat carmini epico, et quodam modo referebat Νυκτεγερσίαν siue Δολώνειαν Homericam.

Quod monui, Choerilum, quum Persica caneret, Atheniensium videri studiosiorem fuisse, etiam confidentius asseuerarem, si præmia poeseos ea, quæ Choerilo contigisse tradit Suidas, ab Atheniensibus illi contigisse constaret. Suidas ita: ἔγραψε δὲ ταῦτα. Τὴν Ἀθηναίων νίκην κατὰ Ξέρξου. ἐφ' οὗ ποιήματος κατὰ στίχον στατῆρα χρυσοῦν ἔλαβε, καὶ σὺν τοῖς Ὁμήρου ἀναγιγνώσκεσθαι ἐψηφίσθη. Eadem Hesychius Milesius is, quem nunc habemus. Iam cuinam putabimus tam splendidam remunerationem acceptam retulisse Choerilum? Mitto nunc, quæ de decreto narrat Suidas: de auro loquor. Ac Vossio quidem si credas, de histor. gr. IV. VII. pag. 203. cui præiuit Dan. Heinsius de sat. Horat. p. 268. ab Archelao illam retulit. Verum hoc nemo credet, qui perpenderit, Choerilum sero, et senem, et multo, postquam Persica scripsisset, tempore, ad Archelaum accessisse. Igitur ab Atheniensibus pretium illud aureum acceperit. Ita statuit Gyraldus, vbi de Choerilo nostro agit, pag. 107. et alios fuisse, qui itidem statuerent, vi-

debimus. Sed nobis, vt patefiat huius caussæ status, et liberum prorsus vt sit iudicium, aliquid præmonendum est. Est autem res sane mira. Etenim hoc, quod Suidas narrat de Choerilo Samio, idem de Choerilo Alexandri Magni comite tradunt Horatius et Horatii scholiastæ. Attigi supra. Horatius Epist. II. I. 233.

Gratus Alexandro regi Magno fuit ille
Choerilos, incultis qui versibus et male natis
Rettulit acceptos, regale nomisma, Philippos.

Acronis verba apponam integra, ad Art. Poet. 357. *Fit Choerilus ille. Choerilus poeta fuit, qui Alexandrum Magnum secutus bella eiusdem descripsit: cui Alexander dixisse fertur; malle se Thersiten Homeri esse, quam huius Achillem. Choerilus Alexandri poeta depactus cum eo, vt, si bonum versum faceret, aureo numismate donaretur; si malum, colaphis feriretur: qui sæpe male dicendo colaphis nectus est.* Scripsi: *Thersiten — bonum versum — aureo n.* ex editione Acronis principe, Mediolanensi a. 1474. Non multum est quod ad Choerilum profeci ex editione Acronis Mediolanensi: sed parua res magni pietatis officii me admonet. Diu est, quum publicas gratias agere volui Langero, librorum thesauri, qui Guelpherbyti est, custodi eruditissimo et præclarissimo. Qui vir quam liberalitatem et beneuolentiam illo tempore mihi præstitit, quum ego, quem nihil plane erat quod commendaret, in eius notitiam venissem, vel potius me intrusissem, in ea sibi semper constitit et constat ita, vt me sibi in omne tempus habeat obstrictum. Is et Acronem Mediolanensem mecum communicauit: quod paruum dico, quum reputo, quanto præstantiores libros, quorum nullus vsus est in hac scriptione, et quam benigne mihi suppeditauerit. Editio Horatii, qua vtor, Ascensiana a. 1529. *versum bonum* habet, et omittit *aureo*. *Versum bonum* etiam Horatii editio Veneta

Philippi Pincii a. 1492. et Mediolanensis a. 1512. Sed *bonum versum* cum principe editio Veneta Georgii Arriuabene a. 1490. Verbum *est* post *depactus* additum habet Ascensiana: quod deest in editione principe et reliquis; neque Cruquianus illud habet. Mitto solitam nominis Choerili deprauationem: *Chœrilus*, *Cherilus*. Laudat Acronis locum Fabricius in bibl. gr. vol. II. pag. 213. Hamb. vol. III. p. 38. Harles. et in fine *persæpe* exhibet: quod nescio vnde acceperit; fortasse a Georgio Fabricio, cuius editionem eam, in qua scholiastas Horatii emendauit, mihi videre non licuit. Princeps cum Ascensiana et aliis, me iudice, melius: *qui sæpe*. Cf. et Cruquianum commentatorem, apud quem legitur: *necatus est.* Sed *nectus* dignius Acrone. Iam quid credemus? Vtrum hoc, quod de Choerilo Alexandri Horatius; an Suidæ fidem habebimus, eamdem rem ad Choerilum Samium referenti? An vtrumque credemus? Nihil eam in rem Heinsius, qui hoc tantum narrat, Choerilo, nempe antiquo Choerilo, pro singulis versibus singulos aureos reposuisse Archelaum. Duas vias inierunt viri eruditi. Vtramque primus indicauit, sed in alteram pronior Turnebus Aduers. XXVI. XXV. pag. 567. siue tom. I. p. 349. eius editionis, quæ opera Turnebi continet omnia. Qui quidem dubitanter, nam dubium erat illo tempore, vtrum duo Choerili fuissent, an vnus: *Aut igitur*, inquit, *quod Athenienses fecerunt, tribuit Alexandro Horatius: aut alter Choerilus etiam fuit, qui res Alexandri carmine complexus est, et ab Alexandro Atheniensium factum imitante, singulis in versum philippeis aureis donatus sit.* Et in hanc sententiam Menagius se inclinat, ad Diog. Laert. pag. 14. Amst. At Vossius, contraria sententia arrepta, quam Suidæ tribuit fidem, denegat Horatio: *Memoria fefellit Horatium. — Nec enim, qui honos ab Archelao habitus bono poetæ, is et apud Alexandrum contigit Choerilo, poetæ malo. Nimi-*

rum duos Choerilos confudit. cf. eumd. de poetis gr. cap. VIII. ad Olymp. CXIII. In qua disputatione hoc ego probo, quod de duobus Choerilis confusis dubitationem iniecit Vossius. Duobus Choerilis, vni antiquo bonoque poetæ, alteri recentiori, idem et tam largum præmium, a diuersis datum fuisse: hoc fabulam sapit et perturbatam narrationem. Crederem tamen, si id a certis auctoribus diserte affirmatum legeremus: sed in re tam incerta, et quum tam perturbata sit Choerilorum historia, fieri non potest, quin alterutra narratio suspecta habeatur. Hic autem non possum non mirari, quod Horatium erroris accusare, quam Suidam, maluerit Vossius. Taceo scholiastas Horatii, licet non contemnendos, si Suidæ opponantur, testes. Sed Horatius et Suidas si diuersa et sibi repugnantia tradunt, Suidas potius quam Horatius dormitasse videbitur. Atque ita est haud dubie. Quod Horatius recte tribuit Choerilo Alexandri Magni comiti, id Suidas perperam Choerilo antiquo Samio. Choerili illius, qui cum Alexandro fuit, nullam notitiam fuisse Suidæ, siue ei, quem exscripsit Suidas, manifestum est. Qui duos tantum Choerilos, Atheniensem et Samium, cognitos habuit. Vt omnino illius Choerili notitia romanis scriptoribus debetur, non græcis; si a testimoniis quibusdam per se incertis, Atheuæi, Strabonis, et Anthologiæ discedas: qua de re mox dicetur, quum scripta Choerili recensebo, et infra ad Sardanapali inscriptionem. Itaque tantum abest, vt mirum sit, quod Suidas illa perperam transtulerit ad Choerilum Samium, vt aliter fieri non potuerit. Non dicit autem Suidas, a quo aurum illud acceperit Choerilus. Quod notatu dignum est. Nimirum Suidas, siue is, quem Suidas exscripsit, quem monui videri esse Hesychium Milesium, aut nihil inuenit scriptum ea de re, aut, quum nominatum inuenisset Alexandrum Magnum, id omisit, vt qui intelligeret, a Choerilo, Herodoti æquali, nimis remotam esse Ale-

xandri Magni ætatem. Mox eumdem Suidam audiemus, ad Choerilum Samium opus etiam quoddam referentem, quod maiori iure Choerilo Alexandri vindicetur. Ne Eudociam commemorem, quæ et quartum Choerilum, comicum, admiscuit, vt supra a me demonstratum est. Illud, nisi fallor, neminem fugit, quanto factum ipsum melius deceat Choerilum Alexandri et Alexandri æuum, quam Choerili Samii ætatem. Non tam splendida ciuitatum illarum fuit munificentia. Reges et tyranni, siue ingenua liberalitate moti, siue laudes suas emturi, præmia profundebant in litteras. Vt Archelai exemplo declaraturus sum, Choerili senis non solum paupertati, sed etiam luxuriæ magnifice prospicientis. Verum in republica artifices et poetæ gloria acquiescere et tum solebant, et nunc solent. Neque Athenienses, quantumvis Persica præda ditati, tantum auri pondus collaturi erant in vnum poetam, cuius præsertim plures iam exstitissent æmuli, eiusdem belli, suo quisque genere, scriptores et laudatores; neque vniuersam Græciam pecunias contribuisse existimabimus, quo Choerilo tam splendida remuneratio pararetur. Quanto conuenientior eiusmodi liberalitas Alexandri Magni æuo, et Choerilo recentiori, et Alexandro. Vbi præterea accedunt, quod negligi nolim, quæ magnitudinem rei, vel sic miram et raram, minuant. Quum enim Suidas Choerilo Samio pro singulis poematis versibus aureos datos esse narret, id, si ad Choerilum Alexandri transferatur, vt transferendum est, non sic accipiendum erit, acsi longum quoddam carmen scripserit, et pro singulis eius versibus singulos aureos ab Alexandro retulerit: sed sic, vt breuiorum Choerili poematum versus singuli, et fortasse, quod Acro monet, ii tantum versus, qui boni viderentur Alexandro, præmio illo ornati fuerint. Hoc et credibilius, et conuenit Horatii verbis. Per quæ vel hoc liberum est, quamdiu liberalitatem illam suam continauerit Alexander, statuere. Qui

fortasse semel tantum tam liberalem se præbuit Choerilo, vel per breue temporis spatium.

Ergo quod ea de re legisset is, ex quo Suidas profecit, quum præter Choerilum Tragicum nonnisi vnum Choerilum, Samium, nosset, ad hunc retulit, et ad celeberrimum eius opus, Persica.

CAPUT XI.

Choerilus Samius obsoniorum amator. Qui Choerilo Samio publice honor habitus sit. Platonis de eo iudicium, et Aristotelis.

Hinc fortasse aptissima occasio est digrediendi ad Athenæi narrationem, lib. VIII. pag. 345. E. quam attingere vsque ad hunc locum distuli. Ea non latuit Gyraldum dial. III. p. 107. Qui tamen Athenæum testem non memorat. Torrentius, quem aliquoties iam adhibuimus, ad Hor. Epist. II. I. 233. postquam animaduertit, Choerilum Samium diuersum esse ab eo, qui Lysandri res gestas carmine descripserit, et a Choerilo Alexandri Magni comite, ita pergit: *Plures itaque Choerili poetæ. Nam et Athenæus Choerilum commemorat lib. VIII. qui quaternas ab Antigono acceptas in diem minas in ventrem condebat; maior, vt credo, obsonator quam poeta: et Choerili, nescio an eiusdem, versus citat lib. XI. de fictilibus poculis tractans.* Quemnam ex Choerilis Athenæus innuerit, non definit diserte Torrentius, sed de Choerilo Alexandri cogitasse videtur. Vtique in eo errauit, quod *Antigonum* dixit, quem *Archelaum* debuerat. Nam hæc Athenæus: *Ἴστρος δέ φησι, Χοιρίλον τὸν ποιητὴν παρ' Ἀρχελάου τέσσαρας μνᾶς ἐφ' ἡμέρᾳ λαμβάνοντα ταύτας καταναλίσκειν εἰς ὀψοφαγίαν, γενόμενον ὀψοφάγον.* Igitur intelligendus est Choerilus noster Samius. Quod et Gyraldus statuit l. l. et Heinsius de sat. Hor. p. 268. Rei fides sit penes Istrum. Quod

vero Schweighæuserus ponit, et Dalecampius vertendo expressit, ac sane id inesse videtur in Athenæi verbis, Choerilum ab Archelao *quotidie, in singulos dies,* accepisse quatuor minas: alius credat, non ego. Semel tantam pecuniam, ab Archelao acceptam, diei spatio in obsonia expenderit. Salarium illud quatuor minarum Barnesius quoque commemorat, vbi Choerili mentionem facit, in vita Euripidis cap. XXX. Non semel accidit bono Archelao, vt apud posteriores immerito veniret in suspicionem mirum quantæ, immo nimiæ, erga poetas munificentiæ: vid. Bentleii de epistolis Euripidis dissert. cap. XI. p. 70. sq. Opusc. Phil. At Choerili famæ prospiciendum est, cui notam inspersit Torrentius. Quodsi neque Alcmani voracitatis crimen, neque Philoxeno aliisque, quorum nomina apud Athenæum, obsoniorum amor, a poetis comicis maxime, vt videtur, carpi solitus, impedimento fuit, quominus pro bonis illi poetis haberentur: potest et Choerilus bonus poeta, idemque obsoniorum cupidissimus fuisse. Alia res est, quod hac opportunitate obseruari velim, propter quam de moribus Choerili inuidiosius iudicare possit, qui respexerit et inter se comparauerit ea, quæ de vita Choerili alibi disputaui. Mirari enim subeat, quod idem poeta in carmine studiosior fuerit Atheniensium, deinde Lysandro adhæserit, denique apud Archelaum Macedonem consederit. In quo Samiorum illam leuitatem aliquis cognoscat, quam reprehendit Pausanias VI. p. 460. Enimuero hæc, quæ spectant mores Choerili, obiter tantum tangere, et tangere magis quam docere volui. Vt iudicare de moribus alicuius hominis omni tempore lubricum est, ita de Choerili moribus iudicare velle, temerarium foret. Prorsus vt sit tutius, tacere in tali re, quam incerta proferre. Cogitaui, dum hæc scribebam, de Sardanapali, quod in fine huius libelli illustratum dabo, epitaphio. Cuius auctor quum incertus sit, quandoquidem pro Choerilo Samio alia,

alia, eaque grauiora, vt videtur, pro Choerilo Alexandri comite loquuntur, cauendum est, ne illud propterea Choerilo Samio vindicemus, quod dignius sit huius Choerili moribus. Etsi enim perditissimus helluo fuerit Choerilus noster, non sequitur inde, vt Sardanapali helluonis epitaphium in græcum sermonem transtulerit.

Accedo ad alterum, quo Choerili carmen ornatum esse perhibetur, honorem. Suidas cum Hesychio Milesio: καὶ σὺν τοῖς Ὁμήρου ἀναγιγνώσκεσθαι ἐψηφίσθη. Id vero egregie decet Choerili Samii ætatem, neque in vllum alium Choerilum cadere potest. Qui decreuerint, et qua occasione recitatione illa, ex decreto, soliti sint vti, non addit Suidas. Ego non dubito, quin Athenienses fuerint, et Panathenæis. Quippe in his ex vetere instituto recitabantur Homeri carmina. Nec, si Lycurgus in Leocr. p. 209. vol. IV. Reisk. institutum fuisse tradit, vt solius Homeri ibi recitarentur carmina, hoc impedit, quo minus Suidæ de Choerili narratione confidamus. Lycurgus enim partim de temporibus antiquioribus loquitur, partim de eo, quod fieri solitum fuerit: Choerileæ autem poeseos publica recitatio res fuit plane noua et extraordinaria, et quæ nescio an breui, postquam instituta fuisset, tempore rursus cessauerit. Quin immo et hoc prorsus incertum, quonam primum tempore illam instituerint Athenienses. Belli Peloponnesiaci decursu id factum esse coniicias, vel gliscente eo bello. Quo tempore floruit Choerilus. Fortasse primum ipse Choerilus carmen suum recitauerat festis Panathenæorum diebus. Vt Herodotus historiam suam, si fides Eusebio: certe si illam Athenis recitauit Herodotus, id Panathenæis factum esse videtur, vt ibi obseruauit Scaliger pag. 104. quamquam Hieronymus nihil, quam hoc: *in concilio.* Choerili igitur carmen decretum fuit ab Atheniensibus, vt quinquennali Panathenæorum celebritate prælegeretur vel caneretur. Hic enim aliquam difficultatem obiicit id, quo Suidas vtitur, verbum:

ἀναγιγνώσκεσθαι. Quod et Suidæ, et aliis, communi vsu, est *legi* i. e. *prælegi*. Photius in Bibl. cod. LX. pag. 60. de Herodoto historiam suam Olympiis prælegente: *λέγεται δὲ, ἀναγινωσκομένης αὐτῷ τῆς ἱστορίας, — Θουκυδίδην ἀκοῦσαι.* Et Lucianus, in eadem re, in Herodoto init. molestum et longum visum esse narrat Herodoto, nunc Atheniensibus, nunc Corinthiis, nunc aliis, scripta *prælegere*, *ἀναγιγνώσκειν*: quod non multo post idem *ᾄδειν* dicit, lectionem viuidam animosque auditorum, poetæ more, abripientem significaturus. Qualis lectio nonnihil differebat a recitatione histrionali, qua Herodoti historiam egit et saltauit, rhapsodorum, qui tum erant, more, Hegesias, teste Athenæo XIV. pag. 620. D. Itaque eo modo, quo Herodotum historiam suam legisse dixi, Choerili carmen publice lectum fuisse credebat Suidas. At quis hoc credat? Homeri quidem carmina non lecta esse, sed recitata siue decantata a rhapsodis, scimus. Et post hæc consedisse nescio quem, et legisse Choerili carmen? Non ita. Canebatur illud, vt Homeri carmina, a rhapsodis. Quamquam est hac in re, quod probe notes. Enimuero, etsi vel Platonis ætate, immo etiam Alexandri Magni sæculo, rhapsodos artem suam exercuisse, et præter Homerum, Hesiodo quoque Archilochoque studuisse constat: eosdem eamdem operam dicasse tam recentibus poetis, quam Choerilus fuit, nisi de singulis diserta testimonia proferri possint, non temere credendum est. Mimnermum, Phocylidem, Simonidem Amorginum, et, quod paullo magis insolens, Empedoclem in rhapsodorum ore fuisse, facile credimus affirmantibus, Athenæo XIV. pag. 620. C. et Diogeni Laertio VIII. 63. p. 532. Illi enim omnes in suo genere fuerunt longe nobilissimi. Xenophanes quoque, quod annotauit Wolfius in prolegom. ad Hom. p. 98. sua ipse ἐῤῥαψῴδει: nescio tamen, an neque hic, neque Empedocleus rhapsodus, magno auditorum plausu. Sed quare ad Panyasin, Choerilum,

et qui postea exstiterunt impares Homericæ laudis æmuli, sese conuerterent rhapsodi, relicto incomparabili illo et inexhausto Homeri thesauro, caussa fuit plane nulla. Igitur illos, non nisi per aliquantulum temporis, rei nouitate et curiositate adducti, tractauerunt rhapsodi, mox ad Homerum suum redituri. Nisi, quod in Choerilo factum est, externa caussa et iussu ciuitatis aliquem poetam commendatum haberent. Hæc sors iniqua fuit eius, qui illa ætate epicæ poesi se addicere vellet, vt timendum esset, ne plane non veniret in notitiam hominum, quum rhapsodorum ars partim inclinata, partim in antiquioribus poetis vnice occupata esset: pro qua re ars et consuetudo scribendi, paullatim gliscens, tardam præbebat compensationem. Ergo rhapsodi diserte iussi fuerunt, nec minima hæc pars fuit illius decreti, vt Choerili carmen ediscerent et exercerent in Panathenæorum vsum. Insignis sane honor, et quo superbire potuit Choerilus. Non tam benigne excepta est, nec potuit, Antimachi poesis. Vtar hoc exemplo, quo clarius fiat, quod modo monebam, difficilem fuisse illa ætate, deficientibus rhapsodis, poetarum epicorum recentiorum conditionem. Antimachi, qui non multo post Choerilum vixit tempore, poesin vel rarissime vel numquam in rhapsodorum ora venisse spoponderim. Antimachus primum ipse, quod testatur Cicero loco satis noto, Bruti cap. LI. carmen suum, *conuocatis auditoribus*, non cecinit, sed *legit*. Volumen enim illud, etsi pars tantum operis fuerit, et amplum nimis fuit, nimisque eruditum, quam quod recitari posset rhapsodorum more; neque ante concionem populi Antimachus afferre ausus est poema, quod ipse, quam paucis scriptum esset, sciebat. Deinceps Antimachi poesis non nisi iis, qui ipsum vel hic vel illic legentem audiissent, innotuit, vel per scripta exemplaria, sed ea et rara, vt colligere est, et manca: in quam rem graue est Procli testimonium statim proferendum. Do-

nec lætior dies affulsit Antimacho, Alexandrinorum iudicum plausu.

Choerili in Panathenæorum celebritate honor, ex Atheniensium instituto, quam diu viguerit, ignoramus. Sed etiam Platonis ætate magnum fuisse illius nomen, docet Procli locus valde memorabilis, ad Antimachum non minus quam ad Choerilum spectans: quem Meursius protulit ad Hes. Miles. p. 221. nec Schellenbergii ille diligentiam effugit. Sunt autem hæc verba Procli comment. in Plat. Timæum lib. I. pag. 28. med. *Ἡρακλείδης γοῦν ὁ Ποντικός φησιν, ὅτι τῶν Χοιρίλου* (edit. *χοιρίλλου*) *τότε εὐδοκιμούντων, Πλάτων τὰ Ἀντιμάχου προὐτίμησε, καὶ αὐτὸν ἔπεισε τὸν Ἡρακλείδην εἰς Κολοφῶνα ἐλθόντα, τὰ ποιήματα συλλέξαι τοῦ ἀνδρός.* Quæ ibi scribit Proclus, contra Callimachi et Duridis calumnias demonstraturus, idoneum poetarum iudicem fuisse Platonem.

Quicquid Plato senserit, quem Antimachi cultorem et aliunde nouimus, magnam Choerili etiam paullo serius fuisse auctoritatem, liquet ex Aristotelis scriptis. Qui alioquin eius exemplo non fuisset vsurus in demonstrandis poeseos legibus. Id autem bis fecit in Rhetoricis. Vid. fragm. Choerili I. et II.

Verum tamen tertius locus Aristotelis est, qui modicum et cautum Choerili amatorem prodit. Quem hic tractabo, quum hæc optima occasio dari videatur. Igitur hæc scribit Aristoteles Topicor. lib. VIII. cap. I. fin. p. 372. Vol. III. Buhl.

> *Εἰς δὲ σαφήνειαν παραδείγματα καὶ παραβολὰς οἰστέον. παραδείγματα δὲ οἰκεῖα, καὶ ἐξ ὧν ἴσμεν, οἷα Ὅμηρος, μὴ οἷα Χοιρίλος. οὕτω γὰρ ἂν σαφέστερον εἴη τὸ προτεινόμενον.*

Primo hæc male vertit Buhlius, *ἐξ ὧν ἴσμεν: e quibus (rem) intelligamus.* Recte iam Lambinus ad Hor. Epist. II. I. 233. *exempla autem propria, et ad rem accom-*

modata, ex iis, quæ scimus, ducta. Quo modo etiam Heinsius verba illa accepit, de sat. Horat. p. 270. Loquitur autem Aristoteles de nostro Choerilo antiquo, non de Choerilo Alexandri comite, quos confundit Lambinus. Et Torrentius quoque, cæteroquin Lambino in distinguendis Choerilis sagacior, hic imponi sibi passus est. Qui sic scribit comment. in Hor. l. l. pag. 737. *solus in Topicis Aristoteles citatus a Lambino de pessimo poetâ Choerilo Flacco nostro suffragatur.* Cum quibus et Heinsius adeo ille ad Alexandri Choerilum retulit Aristotelis verba, de sat. Hor. l. l. adstipulante Rutgersio Lect. Venus. pag. 399. At vero reprehendit quidem Aristoteles Choerilum illum suum, sed non *pessimum* vocat; nec, quoniam Aristoteles aliquid in illo reprehendit, inde sequitur, intelligi debere eum Choerilum, quem Horatius reprehendat. Multo etiam minus Aristoteles loquitur de Choerilo Atheniensi, vt visum est Buhlio ad Aristot. Vol. IV. pag. 535. et ad Topic. p. 491. Qui tragicus poeta fuit. Sed cur de Choerilo Alexandri loqui non videatur, immo, ne possit quidem loqui, Aristoteles, paucis declarandum est. Choerilus, Alexandri comes, Iasensis, etsi Aristotelis temporibus vixit, ipse tamen, id quod probabili argumentatione ostendi potest, aliquanto posterior fuit Aristotele. Deinde, si non semper, at per multos tamen annos, etiam loco disiuncti fuerunt vterque: hic in Græcia versabatur, ille cum Alexandro in Asia, patria sua. Porro, etiamsi alter alterius notitiam habuerint, non antestaturus erat Aristoteles eo modo, atque Homero comparaturus, poetam recentissimum eumque ignobilem. Denique Aristoteles, vt verba arguunt, magnum quoddam Choerili, quicumque ille fuerit, poema ante oculos habuit. Iam vero eiusmodi carmen scripsisse Choerilum Iasensem, euinci non potest: si forte Lamiaca exceperis, ex coniectura nostra mox exornanda. Verum hoc carmen scriptum esse et innotuisse non potest, nisi

eo tempore, quo iam mortuus, vel in mortem pronus Aristoteles. Sed Choerilum Samium innuit et Persica Aristoteles. In quo carmine quum color totus Homericus esset, comparationes tamen et exempla passim inseruit poeta, vituperationi, vt notat philosophus, obnoxia. Nimirum, quum comparationis consilium duplex sit, explicandi et ornandi, ante omnia hoc requiritur, vt ea res, quam extrinsecus aduocet in comparationem poeta, res sit solita et omnibus nota, vel certe notior illa, quam descripturus comparationem instituerit poeta. Quæ lex, vt caussam suam in natura rei habet, ita optimis poetis obseruata est. Et si quando eam in artificiosiore poesi felici audacia migratam videris, at in epica tamen poesi, quæ simplicissima, non sine crimine illa lædi posse videtur. Vt in cæteris rebus, ita in hac quoque præclaro exemplo præiuerant Homerica carmina. Quorum simplicitatem in eo reliquit Choerilus; nec solum Choerilus, sed etiam alii et boni poetæ. Nec mirum, quum difficillimum esset, Homericarum comparationum simplicitatem imitari, si eodem tempore ieiunitatis crimen euitare, et noui aliquid præbere vellent. Quare, vt noui viderentur, ab Homero interdum recesserunt, et exempla exquisitiora, sed eadem, quod notat Aristoteles, obscuriora excogitauerunt. Exemplo vtar, quod, etiamsi non sit ex eodem prorsus genere, quod in Choerilo culpat Aristoteles, cognatum tamen est, et proximum. Amant recentiores poetæ epici cum fabula fabulam comparare, cum heroe heroem, cum heroina heroinam. Homerus hic illic cum diis et deabus comparat viros et mulieres, idque bene. Qui si cum Marte virum, cum Diana venatrice Nausicaam comparat, omnes comparationis vices explet, quum et ornet ea comparatio et explicet, quandoquidem Martis et Dianæ imago nota erat et omnium obversabatur animis. Contra si Virgilius Venerem comparat Harpalycæ, vel si alio loco Didonem Pentheo et

Orestæ: ornatissima quidem est ea comparatio; et pulcerrimis enunciata verbis, sed eadem tantum aberat, vt explicaret, vt ipsa explicatione egeret; multi enim esse poterant, qui neque Harpalycen, neque Pentheum neque Orestam nossent. Ad quod si quis regerat, Pentheum certe et Orestam omnibus Virgilii lectoribus notos fuisse ex tragoediis, verum quidem hoc est, et aperte alludit ad tragoediam Virgilius, dum addit *scenis*; verum hoc non modo non minuit Virgilii culpam, sed etiam auget: immanis enim hæc est temporum confusio et iusto audacior, Didonem comparare cum Oresta tragico. Quod sine inuidia dictum esto in poetam magnum et excellentem, qui Homericam simplicitatem cum elegantia Augustei æui non ita potuit conciliare, vt vtrique vbique satisfaceret.

Ad Choerilum Samium Aristotelis locum iam Petitus, quod nolim tacere, retulit, Obss. II. II. p. 171. sqq. Qui ex librorum Aristotelicorum ordine ac serie demonstrare conatur, Topica Aristotelem scripsisse, antequam poemata sua in vulgus edidisset Choerilus Alexandri. Sed sufficere videntur, quæ eam in rem disserui.

CAPUT XII.

Alexandrinorum et Euphorionis de Choerilo Samio iudicium. Choerili Samii scripta, præter Persica.

Ad ea tempora nunc descendit disquisitio, quibus Choerilo aperte præualuit Antimachi auctoritas. Id autem factum est Alexandrinorum temporibus. Quo iure factum sit, etsi nobis iudicare non licet, in communi vtriusque poetæ ruina, caussæ tamen, cur factum sit, excogitari possunt multæ. Quæ primaria est, Alexandrinos iudices captasse videtur ingenium, quod in Antimacho reperiebant, suo simile. Doctæ elegantiæ studium intelligo, quo Antimachum pariter atque Alexandrinos excelluisse obseruauimus. Id vero non fuit in Choerilo. Deinde Platonis auctoritas aliquid effecerit, qui Antimachum prætulerat Choerilo; vt Aristotelem taceam et fortasse alios, quibus vel hoc vel illud minus placuisse in Choerilo intellexissent Alexandrini. Et hoc ad deprimendum Choerilum valuit, nisi fallor, quod ille argumentum materiamque carminis ex historia petiisset, contra antiquorum poetarum consuetudinem, quam Alexandrinos quoque poetas obseruare maluisse videmus. Denique insignis carminis ambitus librorumque numerus vel per se auctoritatem quamdam et honorificum locum conciliabat Antimachi Thebaidi. Hoc igitur certum est, et iam Schellenbergio obseruatum, ad Antim. pag. 38. sq. Alexandrinos iudices in canonem retulisse Antimachum, excluso Choerilo. De

Antimacho recepto testimonia exstant, quæ fere omnia excitat Ruhnkenius in historia crit. oratorum græcorum pag. XCIV. sqq. Quinctiliani, Procli in chrestomathia apud Photium, siue in vita Homeri a Tychsenio edita, Tzetzarum ad Lycophronem et ad Hesiodum, grammatici Coislin. Sed litem quamdam et dissensionem eam ob rem fuisse, et Euphorionem certe, contra sententiam duumuirorum Alexandrinorum, fauisse Choerilo, liquet ex epigrammate Cratetis grammatici tom. II. p. 3. Anal. quo iam Schellenbergius vsus est. Est autem tale:

> *Χοιρίλος Ἀντιμάχου πολὺ λείπεται· ἀλλ' ἐπὶ πᾶσιν*
> *Χοιρίλον Εὐφορίων εἶχε διὰ στόματος,*
> *καὶ κατάγλωττ' ἐποίει τὰ ποιήματα, καὶ τὰ φίλητρα*
> *ἀτρεκέως ᾔδει· καὶ γὰρ Ὁμηρικὸς ἦν.*

Sensum carminis patefecerunt Toupius Emendd. in Suid. vol. II. ed. Oxon. p. 605. sq. vel pag. 155. vol. II. Lips. et Moneta in epistola ad Buherium, quam lectionibus in Analecta inseruit Brunkius p. 316. sq. Cf. Menagiana t. II. p. 14. not. ed. Paris. 1729. et Iacobs. Anim. in Anthologiam. Qui viri nihil obscuri reliquerunt, præter hoc vnum: *τὰ φίλητρα.* Toupius enim quod de *plagiis* cogitat, et dubitari potest, an *φίλητρον* non possit significare *plagium*, et oblitus est vir ingeniosissimus, per totum hoc carmen hanc amphiboliæ legem obseruatam esse, vt ambiguæ voces partim in irrisionem Euphorionis amatoris, partim in laudem, sed inuidiosam, Euphorionis poetæ accipi possint. Sic *κατάγλωττα* dictum est, sic *Ὁμηρικός.* Itaque si vox *φίλητρα,* quod statuit Toupius, semel de *amore* accipienda est, non potest eadem altera parte *plagia* significare: quæ aperta et dura accusatio foret. Præterea de plagiis Euphorionis nihil constat, nec res veri similis est: certe ab Homero ille non furatus est. Quod attinet Monetæ interpretationem apud Brunkium, nescio an *φίλητρα*

non possint dici *basia impudica.* Mihi quid in mentem venerit, non celabo. Mendi nulla suspicio est. *Φίλητρα* fortasse primum sunt *φίλτρα,* eo sensu, vt significentur *illecebræ,* amatoriarum maxime Euphorionis elegiarum. Multiplex est vocis *φίλτρον* potestas. De illecebris poeticis vsurpauit Pindarus Pyth. III. 113. Huc non pertinent, sed obseruatione digni sunt versus, qui leguntur apud Suidam in v. *Διογένης.* In eorum quinto, quem valde neglectum reliquerunt post Mediolanensem Portus et Kusterus, singularem lectionem protulit, vulgata meliorem, Mich. Neander in Gnomologico lib. II. pag. 376. hanc: *ἢν δὲ ἐφ' ἡλικίην ἔλθῃ, λήθην τάχα ἕξει φίλτρον.* Quam vnde petierit, nunc non vacat exquirere: puto, ex coniectura. Hiantem versum facile expleueris:

> *ἢν δ' ὅγ' ἐφ' ἡλικίην ἔλθῃ, λήθην τάχος ἕξει φίλτρων.*

Insolens vox est *φίλητρον,* sed ex *φίλητρον* ortum esse *φίλτρον* tradit Etymologus in v. *φίλτρον.* Tum lusus et amphibolia in eo erit, quod *τὰ φίλητρα,* si syllabæ distraherentur, *τὰ φίλ' ἦτρα,* Euphorionem tangebat amatorem. *Ἦτρον* quid sit, docent Etymologus, Hesychius, alii. Cf. Ruhnken. ad Timæum pag. 135. Nec sine acumine, puto, dictum est *τὸ ἦτρον τῆς χύτρας* ab Aristophane Thesmoph. 516. Pro *ἦτρον* vitiosa scriptura vel fortasse antiqua scripturæ inconstantia est *ἴτρον* apud Etymol. in v. *δέρτρον,* et ap. Suidam in v. *ἴτρον.* cf. Hesych. v. *ἰτρία.* Iam his verbis, *τὰ φίλ' ἦτρα ἀτρ. ᾖδει,* vide quam accurate respondeant sequentia: *καὶ γὰρ ὁ μηρικὸς ἦν.* Sed hæc, vtcumque aliquis statuere volet, non pertinent ad Choerilum poetam. Ad quem primus tantum et secundus Cratetis versus spectant. Etsi ex eo, quod *Homericus* fuisse dicitur Euphorio vs. 4. etiam id coniici licet, propter Homeri maxime similitudinem et simplicitatem laudatum esse Euphorioni Choerilum.

Cæterum Choerili studium magis affectauit quam exercuit Euphorio, quem Antimachi elegantiæ longe quam Choerileæ simplicitati propiorem fuisse monui. Affectauit autem Choerili amorem, partim Alexandrinis iudicibus obloquuturus, partim, ne ipse Antimachi imitator videretur.

Aristarchorum iudicium non dubitandum est quin multum Choerilo offecerit. Quod enim aliis exemplis docemur accidisse, vt scriptores ii, qui non recepti fuissent in canonem illum Alexandrinorum, paullatim minus diligenter tractarentur, vel etiam negligerentur, et ex manibus lectorum, grammaticorum maxime, excuterentur, idem Choerilo accidit. Hinc factum, vt tam obscura ad nos peruenerit Choerili rerum et vitæ notitia. Hinc, vt rarius, quam exspectes, poetæ olim tam celebris, et ætate non nimis remoti mentionem factam videamus. Hinc illa fragmentorum paucitas. Etsi enim non is sum, qui huic fragmentorum, quæ ego collegi, numero nihil addi posse spondeam: hoc tamen asseuerauerim, exiguum esse Choerili fragmentorum numerum, si comparetur cum aliorum reliquiis, veluti Antimachi, Euphorionis. Quamquam eius rei alia, quæ accedit, caussa, in ipsa Choerili poesi posita, non prætermittenda est. Ex recentioribus scriptoribus ii, quibus plurima veterum poetarum fragmenta debemus, grammatici, lexicorum conditores, scholiastae, ipsa muneris sui natura ducti, poetas epicos eos, qui post Homerum simplicem Homeri stylum repetissent, rarius excitauerunt atque ad testimonium vocauerunt, quam illos, qui propria quadam et exquisitiore dictione memorabiles essent.

Confirmationem eorum, quæ modo disputaui, accipiet, qui fragmenta Choerili, qualia sint, et a quibus seruata, considerare volet. Vnde et hoc apparebit, qui factum sit, vt nuspiam singuli Persicorum libri, vt in aliis scriptoribus fieri solet, laudentur et indicentur,

Choerili fragmenta maximam partem vel apud antiquissimos scriptores exstant, Aristotelem et Ephorum Strabonis, vel ad recentiores scriptores, Galenum, et Simplicium, Stobæum, Hesychium, propterea maxime peruenerunt, quod quasi in prouerbium abiissent. Vnum Iosephi diligentiæ debemus, ad vindicandam Iudæorum antiquitatem intentissimæ. Duo tantum sunt, vel potius vnum inter omnia, quod seruatum propter dictionem et verborum delectum. Inter eos, qui seruarunt, sunt, quibus Choerilum numquam lectum esse credibile est, immo certum. Repetierunt accepta ab antiquioribus Choerileæ poeseos fragmenta. Sic Straboni fortasse, vbi de Sacis agit, Choerili fragmentum non ex ipso Choerili libro, sed ex Ephoro tantum, innotuerat. Non acsi iam tum euanuisset Choerili liber: sed quod rara eius exemplaria, et rarus vsus.

Ita quum Choerilus negligeretur, non mirum si etiam hoc ignorare coeperunt, quid, præter Persica, ille scripsisset, quid non, quid alter Choerilus. Ita vt mature præparati videri possint recentiorum scriptorum errores circa Choerilos. Vnum huius rei exemplum habeo, valde quidem illud incertum, sed quod indicabo: nam suspicioni locus datur. Epigramma in Sardanapali tumulum ego infra additurus sum post Choerili fragmenta et illustraturus: quod Strabo cum Athenæo tribuit Choerilo. Quæritur, vtri Choerilo. Ego quid ea de re sentiam, suo loco vberius exponetur. Vbi ostendam, de Choerilo Iasensi cogitandum esse. Et hunc Athenæus intellexisse videtur: nam Choerilum Samium alio loco cognomine *epici* distinguit. Verum quod ad Strabonem attinet, nescio an is ad Choerilum Samium illud epigramma retulerit, longe illo notiorem.

Sed superest, vt de iis scriptis, quæ reliquisse perhibetur Choerilus Samius, præter Persica, paullo dicam disertius. Quæ res duobus tantum testibus agetur, Suida et Eudocia.

Choerilo Samio Suidas tribuit: *Λαμιακά*. Intelligendum est haud dubie carmen *de bello Lamiaco*, vt *Μεσσηνιακά* appellatur nobile Rhiani carmen. Nam habuit quidem Lamia vrbs fabulas suas, et quæ indigenæ poetæ satis amplam fortasse præberent materiam, quas indicat Stephanus Byzantinus: Lamum Herculis filium, Lamiam reginam. Sed has cur in mentem induxerit tractare Choerilus, cui nihil cum Lamia vrbe aut Thessalia commune esset? Igitur *Lamiaca* fuerunt, vt dixi, *de bello Lamiaco*. Quod si ponimus, Choerilus Samius non potest illius carminis auctor fuisse. Quare aliquis coniiciat: *Σαμιακά*. Sami antiquitates et historiam canere decebat poetam Samium. Quod a *Σάμιος* formatur, nomen possessiuum, *Σαμιακός*, aliquoties inculcat Stephanus Byzantinus, v. *Σάμος*, v. *Ἄγκυρα*, v. *Χίος*. Sed coniectura aliquanto feliciori carmen illud, *Λαμιακά*, supra a me relatum est ad Choerilum Alexandri Magni æqualem, sed eidem haud dubie superstitem. Nescio cui magis conuenerit, bellum Lamiacum canere. Hunc Choerilum ignorabat Suidas, vel is, quem Suidas exscripsit: itaque, quum alicubi Choerili carmen Lamiaca laudatum videret, id Choerilo, non paullo notiori, Samio adscripsit.

Simili errore ab Eudocia, vel potius ab eo, quem Eudocia exscripsit, Choerilo Samio adscriptas esse *comoedias*, supra significaui, quum de Choerilo Ecphantidæ agerem. Choerili Samii scripta hæc recenset Eudocia:

ἔγραψε δὲ ἐπιστολὰς πολλάς, καὶ ἐπιγράμματα, καὶ κωμῳδίας.

De epistolis non habeo quod dicam. Fides sit penes Eudociam. Neque repperi, quod eo referatur, nisi forte, si quis hariolari velit, illud Choerili de Thalete testimonium, quod ex Diogene Laertio propositurus sum. Cæterum, etiamsi fuerint nomine Choerili epi-

stolæ, verendum, ne eæ non magis genuinæ fuerint, quam aliorum virorum antiquorum epistolae, quarum fraudem dudum odorati sunt viri ingeniosi. Epigrammata quod addit Eudocia, magis veri simile est. Illud commemoraui, in Sardanapalum, quod, etsi nos aliter statuimus, iam inter antiquos nonnulli Choerilo Samio tribuerint. Hoc autem valde imprudenter factum est ab Eudocia, quod, dum contraheret et inter se conglutinaret a diuersis auctoribus deprompta, alia a Suida, alia ab alio auctore, breuitatis studio præteriit primarium poetæ opus, Persica.

Suidas, post Lamiaca, haec adiicit:

καὶ ἄλλα τινὰ ποιήματα αὐτοῦ φέρεται.

Minus definite loquitur, quam Eudocia, sed eam ipsam ob caussam fortasse verius. Nosmet ipsi inter fragmenta Choerili Samii habemus, versu quidem heroico scripta, sed quæ ex minoribus poematis, non ex carmine epico, petita videantur. Vid. fragm. VIII. Etiam philosophicum siue ethicum quoddam carmen Choerili exstitisse, opinio mea est: v. fragm. VII. IX. X. Atque hoc carmen, vel hæc carmina, fortasse fuerunt, qui abiudicarent Choerilo. Qualem dubitationem significant Suidæ verba: *καὶ ἄλλα — φέρεται.*

Fragmenta Choerili nostri, quæ propositurus sum, dum reputo, quam sint pauca, deplorare subit boni poetæ et suo tempore inclyti sortem. Sunt tamen illa, vt in pessima re esse solet, quod solatii loco habeatur, nec nimis breuia, et pleraque magis, quam multa aliorum fragmenta, memorabilia. Qui alia addiderit, a me prætermissa, gratum faciet et Choerilo et mihi. Vereor autem, vt magna accessio exspectari possit.

Ordinem ita institui, vt primo loco ponerem ea, quæ ad Persica referre possem idonea de caussa et hac euidentia, quæ sufficit. Sunt ea sex. In quibus dige-

rendis seriem carminis assequi studui. Altera sex dubitationem admittunt. Quæ ex carmine illo epico esse omnia, vt nolo negare peruicacius, ita non ausus sum affirmare; atque vnum alterumque est, quod vt ex Persicis desumptum esse credamus, nihil est quod suadeat; vt aliunde, suadeat aliquid. Caussam in singulis nunc breuiter nunc exposui vberius.

CHOERILI SAMII
F R A G M E N T A.

I.

Ἆ μάκαρ, ὅστις ἔην κεῖνον χρόνον ἴδρις ἀοιδῶν
Μουσάων θεράπων, ὅτ' ἀκήρατος ἦν ἔτι λειμών.
νῦν δ' ὅτε πάντα δέδασται, ἔχουσι δὲ πείρατα τέχναι,
ὕστατοι ὥστε δρόμου καταλειπόμεθ'· οὐδέ τοι ἔσται
πάντη παπταίνοντα νεοζυγὲς ἅρμα πελάσσαι.

Aristoteles de Rhetor. III. XIV. p. 370. sq. Vol. IV. Buhl. *Ἔτι δ' ἐκ τῶν δικανικῶν προοιμίων· τοῦτο δ' ἐστίν, ἐκ τῶν πρὸς τὸν ἀκροατήν, εἰ περὶ παραδόξου λόγος, ἢ περὶ χαλεποῦ, ἢ περὶ τεθρυλλημένου πολλοῖς, ὥστε συγγνώμην ἔχειν· οἷον Χοιρίλος·*

Νῦν δ', ὅτε πάντα δέδασται.

Nihil amplius Aristoteles. Integros versus debemus P. Victorio, cuius apponam verba ex commentariis in Arist. Rhet. pag. 587. ed. Florent. 1548. *Hic est Chœrilus ille, qui carminibus Horatii, vt malus poeta proscissus fuit: nec non etiam ab Aristotele ipso in VIII. libro Topicorum damnatus est. Exemplum tamen ab ipso nunc capit: Initio namque ille sui poematis ignosci sibi oportere dixerat, quod de rebus vulgaribus scribere cogeretur: primi enim poetæ qui meliore fortuna vsi, tempore ipsum antecesserant, elegantiores omnes materias occuparant. Hæc colliguntur ex non inelegant hoc carmine ipsius, quod in Græcis commentariis legitur.*

Ab Victorio Choerili versus venerunt in editionem Rhetoricorum Aristotelis eam, quæ cum selectis Victorii, Maioragii, Fabii Paulini notis prodiit Cantabrigiæ a. 1728. pag. 563. et hinc fortasse ad Buhlium, qui illos exhibet ad Aristot. l. l. Animaduers. p. 535. Exhibuerunt præterea inter antiquiores Muretus Var. Lect. XII. XIV. et Scaliger Animaduers. in Euseb. pag. 101. idemque ad Manil. II. 53. pag. 105. ed. Argentor. vbi bene cum Choerilo comparat Manilium. Nec Muretus nec Scaliger fontem, vnde versus illos petiuerint, indicant. Et eosdem sine admonitione repetierunt, a Mureto acceptos, Heinsius in lect. Theocr. cap. XIX. pag. 359. a Scaligero, Sam. Petitus Obss. pag. 167. Hinc Oruillius, vbi tractat Propertii locum II. VIII. 6. in Miscell. Obs. vol. I. t. III. pag. 432. sqq. Manilii versu laudato: *Vbi videndum,* inquit, *Choerili fragmentum a Scaligero nescio vnde haustum.*

Opportune autem accidit, vt versus tam elegantes, iique ex Persicorum exordio, ad nos peruenerint. Oratio est, quod supra me tangere memini, magis quam pro Homeri consuetudine, figurata, sed, verba si spectes, simplex, elegans, et quam Homericam si appellem, non verear, ne nimium dixisse alicui videar. *Τέχναι* nouo vsu dixit Choerilus, eoque sensu, quo ne potuit quidem dici ab antiquissimis poetis epicis. Talia passim, sed non omnia, notaturus sum, recentioris sermonis vestigia. *Νεοζυγὲς* vt non est apud Homerum, esse tamen posset. Verbum *πελάσσαι* propius videbimus.

Verum de eo litigari poterit, vtrum ipsum Persicorum initium teneamus, an versus aliquot præcesserint. Erit, qui nimis subitum et nimis abruptum dicat hoc exordium, si exclamatione carmen suum ordiri voluisset Choerilus. Sed potuit tamen ita facere poeta. Ac, puto, fecit. Qui autem tam copiose de consilio suo exposuerit, ex antiquis poetis epicis vix inueneris

vllum. Et ne Aristoteles quidem vllum recordatus esse videtur præter Choerilum. Igitur hoc singulare in Choerilo et proprium, sed explicandum ex rationibus Choerili. Excusatione egebat, quod viam nouam ingredi et ab aliorum poetarum vsu recedere sibi proposuisset.

Videndi sunt versus singuli. In quibus cum Victorio tantum non vbique consentit Muretus, ita vt nihil egisse videatur aliud, quam vt illos a Victorio transcriberet. Scaliger fortasse rursus ipse contulit librum græcum.

Versu 1, Scaliger vtroque loco, ad Manilium et ad Eusebium: *ὦ μάκαρ*. Victorius: *Ἆ μάκαρ*. Quod præstat. Theognis v. 1013. Bekk. v. 987. Brunk.

Ἆ μάκαρ, εὐδαίμων τε καὶ ὄλβιος, ὅστις ἄπειρος·

Vbi nunc bene *Ἆ* legitur ex libro Mutinensi; idem fortasse reponendum vs. 1173. vel 1127. ed. Brunk. In Epigr. Incert. DLXV. DLXVI. multi *Ὦ μέγα* et *Ὦ μάκαρ*. Exquisitius: *Ἆ μέγα* et *Ἆ μάκαρ*. Deinde Victorius *ὕδρις*. Et sic Muretus in edit. Plantin. a. 1586. Quamquam in Thesauro critico Gruteri t. II. p. 1092. exhibetur *ἴδρις*. Scaliger: *ἴδρις*. Quam correctionem iam Heinsius fecerat in lect. Theocr. l. l. Sustuli autem comma, quod Victorius posuit, post *ἀοιδῶν*, quum *ἴδρις* pendeat a *θεράπων*. Nexus verborum paullo impeditior, sed neminem latere potest. Vix enim fuerit, qui *ἀοιδῶν* existimet esse ab *ἀοιδή*. *Μουσάων θεράπων* sollemnis poetarum appellatio, traducta, vt credo, ex Margite. Vid. Aristophanes in Auibus v. 910. sqq. ibique schol. Proxime ad Choerilum accedit Homericus in Lunam hymnus:

— ὧν κλείουσ᾽ ἔργματ᾽ ἀοιδοί,
Μουσάων θεράποντες, —

Cui geminus est Hesiodus Theog. v. 99. Verum vtrique poetæ antecessisse puto Margitem. *Μουσάων θεράποντα* Archilochum ipse nuncupabat Apollo: quod ora-

culum conseruauit Galenus in protreptico; cf. quos laudat Wyttenbachius ad Plut. de sera n. v. pag. 81. *Μουσῶν θεράποντα καὶ ἄγγελον*: Theognis v. 747. vel v. 769. Bekk.

Vs. 2. Victorius: *ἀκείρατος*. Recepi emendationem, quam tacite fecit Scaliger. *Pratum integrum*, vt Manilius. Rarissima vox apud Homerum, *ἀκήρατος*: sed Homerica tamen. Choerilo autem proximum hoc est ex hymno Mercurii v. 72. *λειμῶνας ἀκηρασίους*. *Παρθένων κᾶπος ἀκήρατος* dictum est Ibyci apud Athen. XIII. pag. 601. B. vbi tolerabile *ῥοάν*; melius *ῥοᾶν*, quod tamen longe simplicius explicandum, quam explicuit Schweighæuserus. Facile in metra sua redibit Ibyci carmen, si quis domuerit, quod in fine latet monstrum. Nam monstrum est *ἐθάμβησε κραταιός*, vel *ἀθάμβησε κραταιῶς*. Postrema ego sanare posse mihi videor. Sana visa sunt omnibus hæc: *παιδόθεν φυλάσσει*. In quibus nec temporum pristinorum illa commemoratio, nec frigidissimum *φυλάσσει* furibundæ verborum, quæ præcedunt, tempestati respondet. Melius vtique poetæ prospicietur, si scribatur:

— *πεδόθεν τινάσσει*
ἁμετέρας φρένας.

In versu Choerili tertio Scaliger in Euseb.: *δέδαισται*. Ad Manilium idem, vt cæteri, *δέδασται*. Choerili locum Virgilio in simili conquestione obuersatum esse, Georg. III. init. *Omnia iam volgata* etc. coniectura est Mureti, fortasse non inanis. Choerilus autem ex Iliadis I. v. 125. profecisse videbatur Heynio. Verbis his: *ἔχουσι δὲ πείρατα τέχναι*, hic sensus inest, vt Choerilus non solum conqueratur de exhausta ab antiquioribus epicis epici carminis materia, sed etiam de eo, quod poeseos genera, inter se separata et discreta, suos quodque sibi fines, suum dominium, vindicauerint, quum antiquis poetis epicis quolibet euagari et nullam mate-

riam non licuisset aggredi. Respexit autem Choerilus etiam his verbis se suumque conamen. Phrynicho, Aeschylo fas erat, res Persicas, easque recentissimas, tractare. An idem poetæ liceret epico, ea vero erat quæstio. Vs. 4. vnus Muretus: *δρόμον.* Erratum. Quod correxit, qui hæc, vt dixi, a Mureto accepit, Heinsius. Qui ista sic exhibet: *ὕστατοι, ὥστε δρόμου, ἀπολειπόμεθ'.* Hoc quidem memoriæ lapsu: nam cæteri omnes *καταλειπόμεθ'.* Mox omnes: *οὐδέ τοι.* Victorius quidem vna voce: *οὐδέτοι.* Vs. 5. Victorius: *Πάντη, πάντῃ* Muretus et Scaliger, vt nunc scribi solet. Cæterum hemistichium est Homericum: Odyss. XII. 233.

Denique Victorius et Muretus: *πελάσαι.* et sic Scaliger ad Manilium. Sed apud eumdem in Euseb. rectius: *πελάσσαι.* Quod et Heinsius reposuit l. l. At enimuero hoc corruptum, si Hemsterhusio credimus. Quod primum annotatum vidi a Porsono, Aduers. pag. 274. Hemsterhusius ad Luciani Somnium XV. pag. 20. vbi Choerili versus commemorat: *in quorum vltimo,* inquit, *legendum profecto, νεοζυγὲς ἅρμα ἐλάσαι vel ἐλάσσαι, non πελάσαι.* Defendendum est, si quidem defendendum sit, contra Hemsterhusium, *πελάσσαι.* Nam quod viro summo in mentem venit, *ἐλάσσαι,* id nemo nunc erit cui arrideat. Nulla autem alia de caussa Hemsterhusio displicere potuit *πελάσσαι*, quam quod positum videret sine indicio loci. Estque hoc profecto insolentius, sed excusationem habet. Homerus quidem verbum *πελάζειν* in Iliade, si bene memini, semper ita adhibuit, vt datiuum adiungeret eius rei, ad quam appropinquatio fiat.

ἱστὸν δ' ἱστοδόκῃ πέλασαν.
Ζεὺς δ' ἐπεὶ οὖν Τρῶάς τε καὶ Ἕκτορα νηυσὶ πέλασσεν.

Semel abest datiuus, sed vbi facile ex præcedentibus suppleatur: XII. 420. Et semel, quod hac occasione moneo, in eodem libro v. 112. *πέλασεν* est verbum neu-

trum. In Odyssea paullo latior obtinet vsus. Ac primo memorandum, quod occurrit VII. 253. 4.

— δεκάτῃ δέ με νυκτὶ μελαίνῃ
νῆσον ἐς Ὠγυγίην πέλασαν θεοί.

Recurrunt versus tantum non iidem XII. 447. vbi adscriptam video a Barnesio et ab Ernesto diuersam lectionem, ἔθεσαν, sed eam, vt videtur, nullius momenti. Cum præpositione πρός, Hesiodus Op. 730.

ἢ ὅγε πρὸς τοῖχον πελάσας εὐερκέος αὐλῆς.

Etiam cum præpositione ἐν construitur πελάσσομεν, Od. X. 404. 424. Quod mirum primo obtutu, sed nos nunc non morabitur. Ab eo vsu, quo cum εἰς et πρὸς construeretur πελάζειν, facilis erat transitus ad hoc loquendi genus, quo eidem verbo iungitur aduerbium loci.

τὸν δ' ἄρα δεῦρ' ἄνεμός τε φέρων καὶ κῦμα πέλασσεν

Od. V. 111. 134. Et quod non dissimile est, οὖδάσδε πελάσσαι: X. 440. Pro quo in Iliade, XXIII. 719. est: οὔδει πελάσσαι. Sic, quum verbum πελάζειν coniungeretur cum aduerbiis loci, potuerunt hoc quoque sibi sumere, vt aduerbium illud omitterent, vbi id ex præcedentibus suppleri posset. Idque fecit Choerilus, apud quem ex voce πάντη facile suppletur particula ποι, vel etiam πῃ. Fortasse alicui in mentem venerit, in versu præced. pro τοι legere ποι vel πῃ. Sed nihil opus. Non prætermittendus est Odysseæ locus ex lib. XII. 41. vbi πελάσῃ nudum positum, ita vt nec datiuus, nec aduerbium supplendum videatur. Hoc tamen a Choerili loco differt eo, quod ibi πελάσῃ verbum est neutrum, vt in Iliade XII. 112. et apud Hesiodum v. 730.

De curribus, quos sibi vindicent poetæ, dixit Hemsterhusius; comparentur, si placet, quæ habet Oruillius loco laudato. Vsus est ea imagine inter alios Iuuenalis I. 19. seq. Addo nobile Parmenidis exordium ap. Sextum lib. VII. At vero ibi sermo est allegoricus. Ful-

lebornius Empedoclis versum comparat, qui apud Sturzium est 343.

Quum græci illi in Aristotelem commentarii, ex quibus Choerili versus produxit Victorius, qui fuerint et an sint, lateat, non alienum est, ex Aristotelis scholiasta eo, quem ex codice Georgii Seluæ, episcopi Vaurensis, edidit Conr. Neobarius, regius typographus, Parisiis a. 1539. adscribere, quæ pertinent ad Aristotelis verba supra posita. Liber, vt videtur, rarus, inscriptionem habet hanc: *Εἰς τὴν Ἀριστοτέλους Ῥητορικὴν ὑπόμνημα ἀνώνυμον.* Egit de eo Fabricius in bibl. gr. vol. III. pag. 221. Harles. Buhlio videre non contigit; quem vide in præf. ad Aristot. vol. IV. pag. X. Hæc autem scholiastes ille, fol. 73. b. vs. 2.

> *ἢ εἰ λέγεις [τὶ τεθρυλλημένον] καὶ γνώριμον ὂν [τοῖς πᾶσιν,] δεῖ σε παρακαλεῖν τὸν ἀκροατὴν συγγνωμονῆσαί σοι, εἰ τὰ γνώριμα λέγεις τοῖς πᾶσιν· [οἷον εἰ χοιρίλλος] ἐποίησεν (τραγικὸς δὲ οὗτος·) συγγνωμονητέον ὦ ἄνδρες, εἰ νῦν παριστάμενα λέγων ταυτὶ, ὅτε δέδασται λέγεται καὶ μεμοίρασται, τότε ὁ δεῖνα ἀνδραγαθεῖ.*

Accurate descripsi. Homo imperitus valde importune inter se permutauit Choerilos. A quo decipi se passus est, et perturbationem auxit, quod iam notaui, Valesius ad Hesych. v. *Χορίλον.* Dubitari enim non potest, quin hunc scholiastam voluerit Valesius. Atque eumdem volunt Dan. Heinsius de sat. Hor. p. 268. sq. et Sam. Petitus in Obseruat. p. 168.

II.

Ἡγέο μοι λόγον ἄλλον, ὅπως Ἀσίης ἀπὸ γαίης
ἦλθεν ἐς Εὐρώπην πόλεμος μέγας.

Quod modo tractauimus, Choerili fragmentum, Aristoteles exemplum esse voluit eorum exordiorum, quae iudicialia appellat, δικανικά. Rarum autem, vt monui, in epica quidem poesi, iudiciale hoc exordiorum genus; eamque ipsam ob caussam Choerili exemplum posuit Aristoteles. Sed paullo post, vbi præcipit, in exordio epici carminis requiri indicium eius rei, de qua dicturus sit poeta, exempla ponit hæc, pag. 372. Buhl.

Μῆνιν ἄειδε θεά.
Ἄνδρα μοι ἔννεπε Μοῦσα.
Ἡγέο μοι etc.

In quo quum antea in excusis libris legeretur: λόγων ἄλλων, Victorius in commentariis pag. 589. restituit λόγον ἄλλον: *ita autem quoque legitur in antiquissimo libro: quem sequitur etiam vetus tralatio.* Idque exhibet Rhetoricorum Aristotelis editio, quæ, ad Victorii exemplar correcta, anno insequente, 1549. prodiit Parisiis. Cui quæ subiecta est interpretatio Hermolai Barbari, antiquum vitium expressit. Nam ita Hermolaus: *Dux mihi sis o Musa subsequentium sermonum, quomodo ingens ex Asia bellum venerit in Europam.* Illam autem interpretationem veterem, cuius mentio apud Victorium, Hermolao Barbaro multo tempore priorem fuisse constat.

Codex ms. bombyc. bibliothecæ Regiæ Dresd. qui Aristotelis Rhetoricorum libros tres, Poeticam, et Demetrium Phalereum de eloquutione continet, λόγον ἄλ-

λον præbet et ἐπ' Εὐρώπην. Hoc quidem, quod aliquanto fortius esse videbatur quam ἐς, recepturus eram, nisi editorum auctoritas me retinuisset. Si quidem ex eorum silentio recte colligitur, eos ἐς repperisse in codicibus suis. Codicem illum, quem Dresdæ exstare forte comperissem, benignissime mihi dedit inspiciendum, qui nunc ibi bibliothecæ Regiæ præest, Beigelius, vir eruditione et facilitate aditus clarissimus.

Præterea scripsi Ἀσίης, pro eo, quod vulgatum video, et in codice Reg. Dresd. repperi, Ἀσίας.

Cuiusnam ista poetæ sint, ignorare se fatetur Victorius. Stolida ad hunc locum profert scholiastes Neobarii, quæ tamen apponere non piget, vt clarius, quale sit illud scholiorum genus, appareat, et quoniam, vbi grauia desunt et fide digna testimonia, fabulas interdum et ineptias audire iuuat. En verba scholiastæ, loco supra laudato, fol. 73. b. vs. 26.

— [διὰ τοῦτο] ἤτοι, τὸ μὴ πλανᾶσθαι τῷ ἀορίστῳ, εὐθὺς ἐν αὐτῷ τῷ προοιμίῳ, τὴν ὅλην δηλοῦσιν ὑπόθεσιν, ὡς τὸ, [μῆνιν ἄειδε θεά· καὶ, ἥγεό μοι ἄλλων καὶ ἄλλων,] ἀντὶ τοῦ ἡγεμόνευέ μοι· τοῦτο εἴρηται τῷ ἡροδότῳ περὶ τοῦ πρὸς τὸν ξέρξην πολέμου.

Hæc scholiastes. In quibus pro ἄλλων καὶ ἄλλων legendum videtur: ἄλλων λόγων, vel λόγων ἄλλων. Nisi forte legendum: — λόγων ἄλλων, καὶ ἄλλα. Non suboluerat bono homini, hic de versu agi.

Nos, certa coniectura ducti, fragmentum illud Choerilo vindicauimus. Est autem laus inuentionis non apud me, sed apud alios. Primus, quod sciam, vidit Barnesius in vita Euripidis cap. XXX. pag. 31. not. ed. Lips. deinde, quem tum, puto, latuit Barnesii obseruatio, celeberrimus Wolfius apud Schellenbergium ad Antim. pag. 39. not.

Res extra dubitationem posita est. Modo hoc teneas, ista, ἥγεό μοι λόγον ἄλλον, in carminis initio qui-

dem fuisse, sed non ipsum initium. Quod et verba ipsa demonstrant, et fragmenti, quod posuimus, primi comparatio. Post versus illos quinque Choerilus aliquid inseruerat, quod nunc nescimus: fortasse exempla quædam, ad modum Virgilii: *Cui non dictus Hylas puer.* Deinde ad rem transiit sic: *Hæc quum ita sint: ἤγεό μοι λόγον ἄλλον* etc. inuocatione Musæ inserta.

Barnesius tacite dedit *πόνον*, non *λόγον;* tum, vt ego, *Ἀσίης*. Ad hoc quidem quod attinet, in vulgato Græcorum sermone atque apud recentiores raro inuenias exempla, vbi *Ἀσία* sit adiectiuum nomen et cum substantiuo iungatur. Ex antiquis ita loquuti sunt, præter Choerilum, Aeschylus in Pers. 583. 925. qui tamen alibi *Ἀσία* substantiue, et Euripides Bacch. v. 64. Ex antiquissimis frustra exempla exspectes. Pertinet tamen huc Homericum illud, *Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι,* de quo mihi quidem, et, credo, plerisque satisfacit Hermanni disputatio ad Hom. h. Apoll. 250. sq. Quod non ita dico, acsi hoc Homeri exemplo opus esse existimem, vt defendatur, quod Choerilus dixit, *Ἀσίης γαίης*. Sufficiunt aliorum, Aeschyli maxime, exempla; et vel sine exemplis analogia docet, *Asiæ* nomen primitus adiectiuum fuisse. Id quod ponit Hermannus l. l. Nimirum quum *Ἀσία* per se discerni nequeat, vtrum sit adiectiuum an substantiuum, apud nos, vt proprie adiectiuum fuisse credamus, efficit constans antiquitatis vsus, secundum quem et alia nomina multa, quæ serius substantiuorum formam induerunt, primitus adiectiua fuerunt, et terrarum maxime nomina adiectiui formam manifesto præ se ferunt, veluti *Μῃονίη*, *Φρυγίη*, *Θρηΐκίη*, alia quam plurima. Qualia si non ita effert Homerus: *Μῃονίη γαῖα*, *Φρυγίη γαῖα*, efferre tamen ita poterat, et extulerunt ita, vel certe cogitarunt, Homero antiquiores. Sed occurrunt etiam nomina terrarum talia, quæ terminatione et vsu, quippe quæ nomen *γῆ* adsciscant, tamquam nomina adiectiua se produnt, e. g. *Ἀσίς*, *Ἀσιάς*,

Ἀσιῆτις, quæ voluit Hermannus l. l. Sic Homerus nunc Ἀχαιΐδα γαῖαν, nunc Ἀχαιΐδα simpliciter: illud legitime, hoc per licentiam, sed illis temporibus iam consuetam. Huc etiam Ἑλλὰς pertinet. Quod nomen, quum apud Homerum substantiuum esse videatur, quonam modo, si vere substantiuum esset, optimi scriptores Ἑλλάδα γαῖαν et similia, vel Ἑλλάδα ἄνδρα, quod Sophocles dicitur ausus esse, dicere possent? Igitur de his ita statuendum est, formam et eam, quæ est in ια siue ιη, et alias primo adiectiua fuisse; deinde consuetudine scriptorum, inprimis eorum, qui prosa oratione scripserunt, accidisse, vt nomina illa, quæ sunt in ια, pro substantiuis haberentur; ea vero, quæ terminantur in ις, ας, adiectiua manerent: quamquam in his quoque fuerint, quæ vel sæpius vel rarius tamquam substantiua vsurparentur. Sic, vt vno exemplo vtar, primum fuit Ἀσία γῆ, et origine et antiquissimorum vsu. Et retinuerunt, quod decebat poetas, hunc vsum Aeschylus, Choerilus, Euripides: etsi horum ætate mos iam vulgatus erat, dicere Ἀσίαν simpliciter. Quæ autem aliæ sunt formæ, Ἀσίς, Ἀσιάς, adiectiua manserunt, ita tamen, vt interdum etiam Ἀσίδα simpliciter dicant poetæ, quasi substantiuum: veluti quum Ἀσίδα πυροφόρον dicit ipse Choerilus. Sed mitto hæc. Quæ si trita et puerilia alicui videantur, ego certe non memineram, qui de hac re satis clare exposuisset. Hoc mirari subit, quid sit, quod scholiastes Apollonii ad lib. II. 777. citharam appellatam esse ait *Asiam*, Ἀσίαν, quum ab reliquis grammaticis et a Plutarcho de musica p. 1133. C. ea Ἀσιὰς appelletur. Quod facile foret restituere scholiastæ, nisi vulgatæ lectioni patrocinaretur lexicon Seguerianum Bekkeri vol. I. Anecd. p. 451. Quæ ante Bekkerum delibauerat Montefalconius in Bibl. Coisl. p. 607. Apud Stephanum Byz. in v. Ἀσία olim, nescio quo consilio, labefactare studuerunt vocem ἤπειρος. Aliquid turbauit is, qui hanc epitomen fecit. Sic fere scripserat

Stephanus: Ἀσία, πόλις Λυδίας παρὰ τῷ Τμώλῳ, ἐν ᾗ ἡ τρίχορδος εὑρέθη κιθάρα. διὸ καὶ Ἀσιὰς ἡ κιθάρα. Ἀσία ἡ ἤπειρος· οἱ μὲν ἀπὸ πόλεως etc. Quod hoc de appellatione citharæ omiserit epitomes auctor, non vertimus illi vitio: nam parum ad rem facit. Sed tum etiam particulam διὸ omittere debuerat. Quod ex Suida et ex Eustathio ad Dion. 620. monet Holstenius, Asiam olim Ἤπειρον dictam esse, prorsus alienum a Stephani loco.

Inter Aeschyli, Choerili, Euripidisque locos eos, quos posui, et Homerum Il. II. 461., quantum intersit, neminem latet. *Asia* non semper eodem ambitu dicta est. Homeri *Asia*, vel potius *Asium pratum*, Lydiæ siue Mæoniæ erat regio, in Caystri, Pactoli et Mæandri confinio, prope Tmolum montem. Idem est, quod πεδίον Μαιάνδριον appellat Dionysius v. 830. sq. et 837. vbi v. Eust. A Tmoli fastigio conspici Caystrium campum, testis Strabo XIII. pag. 928. C. Almel. Caystrium campum Arrianus quoque commemorat lib. V. p. 203. Gron. Qui quæ narrat de natis per fluuiorum alluuionem regionibus campestribus, planum faciunt, quo modo illa regio ab *limo* appellari potuerit *Asia*. Homerico sensu *Asia prata*, et *Asiam paludem*, et *Asiam Deiopeam* dixit Virgilius. Hinc paullatim progressa est ac sese extendit *Asiæ* appellatio. Primo quidem factum fuerit, quod credi potest scholiastæ Apollonii II. 777. vt *Asia* appellaretur vniuersa Lydia; quamquam hoc neque ex Apollonii verbis necessario sequitur, nec, quod vult scholiastes, ex Homeri loco demonstrari potest. Sed veri simile est, *Asiæ* nomen ab ea regione, quam Homerus denotat, egressum proximas primo regiones occupauisse. Tangit illam scholiastæ opinionem etiam Eustathius ad Dion. l. l. ὡς τάχα τῆς Μηονίας Ἀσίας λεγομένης. Paullo grauior testis est Strabo XIII. p. 930. sq. Almel. vbi memoria dignissimum est et ad rem nostram egregie facit, quod e Scepsio refert Strabo de Callino: cf. Steph. Byz. in v. Ἡσιονία,

et Hesych. Ἠσιονεῖς. Choerili et Euripidis tempore iam vsitatum erat scriptoribus, *Asiam* dicere Ἀσίαν τὴν ἤπειρον, vt Stephanus Byz. l. l. id est, totam illam continentem, quam nos fere Asiam vocamus, alteri mundi parti, vel duabus alteris partibus, Europæ Libyæque, oppositam. Id pro sua quisque notitia, valde tum manca. Hoc igitur sensu Ἀσίην γαῖαν dixit Choerilus; hoc Aeschylus, quem videbimus; hoc Euripides in Bacchis v. 64. Ἀσίας ἀπὸ γᾶς; 1167. vel 1158. Brunk. Ἀσιάδες Βάκχαι; Iphig. Taur. 179. vel 172. Seidl. ὕμνον Ἀσιήταν, id est *barbarum* simpliciter; Herc. Fur. 643. Ἀσιήτιδος τυραννίδος ὄλβος, siue ibi Midæ, siue Croesi imperium, siue Persas, siue hos omnes in mente habuerit poeta. Qua tamen in re duo tenenda sunt. Primum, quod notissimum est, in vulgari tum vitæ consuetudine Græcos, vbi *Asiam* dicerent, sæpe nonnisi de anterioribus Asiæ terris, quæ intra Halyn essent, de Ionia maxime, cogitauisse, exclusa Asia vlteriori, quam non tam vniuerso Asiæ nomine complecti, quam singulos populos suis nominibus distinguere solebant. Qui loquendi vsus ad recentiores, Romanos quoque, permanauit. Quo spectat grammaticus Bekkeri mox laudandus. Poetæ autem, simili quadam ratione, Asiæ nomen ab vniuersa continente in singulas terras transferebant. Honoris quasi caussa, et prout nunc hæc nunc illa terra potior vel laude dignior videretur. Exempli gratia, Euripides Ioniæ conditorem vocat: κτίστορ' Ἀσιάδος χθονός, Ion. v. 74. Contra, vt in Euripide consistam, *Asia* appellatur Troas: Troad. 743. vel 765. Seidler. Virgilius: *Postquam res Asiæ* etc. Nimirum bellum Troianum, vt postea, maiore quidem iure, Persica bella, imaginem referebat certaminis inter Europam et Asiam gesti. Eodem sensu Iuno Paridi promisisse perhibetur *Asiæ Europæque* imperium, id est, Troadis siue Phrygiæ, et Græciæ. Certe antiquissimi nihil voluerunt amplius, veluti Euripides Troad. 927.

vel 937. Quod deinde detorquentes alii, veluti Isocrates in Helenæ encomio, iusto liberaliorem fecerunt Iunonem. Aeschylus in Persis eo fere, quo Choerilus, sensu, *Asiam* dicit; ita quidem, vt omnes Asiæ populos cum Xerxe profectos, et vniuersam continentem clade illa afflictam esse fingat. Vide, si exemplis opus, v. 925. quem locum iam adhibui. Add. vs. 267. sqq.

τὰ πολλὰ βέλεα παμμιγῆ
γᾶς ἀπ' Ἀσίδος ἦλθ' ἐπ' αἶαν
δίαν, Ἑλλάδα χώραν.

Qui versus quodam modo referunt Choerilea ista:

Ἀσίης ἀπὸ γαίης
ἦλθεν ἐς Εὐρώπην πόλεμος μέγας.

Est vbi Persas ab Asianis distinguit Aeschylus, dominos a seruis; vt distingui voluit Darius illa inscriptione, quæ est apud Herodotum IV. 91. Περσέων τε καὶ πάσης τῆς ἠπείρου. Licebat autem poetæ, vt Dario licuit, vt vniuersam Asiam Persis subiectam diceret, ad augendam rei magnitudinem. Ac notiores quidem Asiæ populi plerique Persis vtcumque parebant. De reliquis securus erat Aeschylus. Commodus est, qui huc advocetur, grammaticus Bekkeri in Anecd. v. I. p. 451. Ἀσία ὑπὸ τῶν παλαιῶν πᾶσα λέγεται, ἧς οἱ Πέρσαι τὴν ἀρχὴν ἐκέκτηντο, οὐχ ἡ νῦν ἰδίως ὀνομαζομένη οὕτως.

Hæc eo potissimum consilio a me disputata sunt, vt illustrarem illum ex Bacchis locum, v. 64. in quo fuerunt, qui Ἀσίαν γᾶν idem sibi velle crederent, quod apud Homerum *Asium pratum*. Vid. Cellar. notit. o. a. III. I. p. 7. tom. II. Quæ opinio eo magis refutanda erat, quo est speciosior propter mentionem, quam statim inserit Euripides, Tmoli montis, quem prope abfuisse ab Asio Homeri prato diximus.

Iam, quonam sensu alibi Ἀσίδα dixerit Choerilus, mox suo loco breuis erit et expedita disputatio.

In Choerili versu πόνον exhibuit Barnesius. Nescio

an consulto. Choerilus scripsit: *λόγον ἄλλον.* Est autem vocabulum *λόγος* inter ea, quæ historicum potius quam poeticum et epicum sermonem decent. In Iliade semel est *λόγος*, sed loco, vt videtur, non antiquo. Apud Hesiodum aliquoties. Hic quod dixit, *αἱμυλίοισι λόγοισιν*, Theog. 889. memorabile est, idem et in Odyssea legi, I. 56. et in hymno Mercurii v. 317. Et: *ψεύδεά θ', αἱμυλίους τε λόγους,* bis Hesiodus Op. 78. 789. In Op. v. 106. legitur: *ἕτερον λόγον.* Verum hoc non nisi speciem habet Choerilo similem. Qui, vt Choerilus, *λόγον* dixerit de argumento totius carminis, nusquam inueniatur inter antiquiores quidem poetas epicos. Proxime accedit Batrachomyomachiæ vs. 6. Xenophanes ap. Diog. Laert. in Pythagora pag. 519.

Νῦν αὖτ' ἄλλον ἔπειμι λόγον.

αὖτ' H. Stephanus in poesi philos. p. 39. Frequentant vocabulum *λόγος* poetæ philosophi. Sic varia illud significatione Parmenides. Empedocles quoque, et alibi, et eo loco, de quo Buttmannus in comment. Soc. Ph. Lips. Vol. IV. P. I. p. 37. et Sturzius in sua Empedocleorum editione pag. 534. sq. Vbi etsi non displiceat Buttmanni commentum, *μῦθον μύθῳ προτιάπτων,* et adiuuari quodam modo possit alio Empedoclis loco, v. 32. 33. omnibus tamen commentis haud dubie præstant, quæ nuper vulgata sunt ex codice Taurinensi:

Αὐτὰρ ἐγὼ παλίνορσος ἐλεύσομαι ἐς πόρον ὕμνων,
τὸν πρότερον κατέλεξα λόγῳ λόγον ὑποχετεύων
κεῖνον.

Vid. Empedoclis et Parmenidis fragmenta ex cod. Taurin. edita, ab Amadeo Peyrono, pag. 27. Lips. Quamquam quod verbum *ὑποχετεύων* defendere conatur Peyronus, pag. 33. non ita fecit, vt nullam dubitationem reliquerit. Nam vocis alicuius originationem et compositionem defendisse, quid prodest, vbi illam metrum respuat? Hac de re nihil suboluit Peyrono. Ego ali-

quando coniiciebam, legendum esse: ἡνιοχεύων. Nunc acquiescendum puto in codicis lectione: ὑποχετεύων. Exemplum quod prorsus respondeat, præter Homerica satis nota illa, nullum nunc recordor, si excipiam Euphorionis versum:

Δελφίδες ᾧ ὕπο καλὸν Ἰήϊον ἀνεβόησαν,

in fragmento eo, quod bis repetitur in schol. Pind. argum. Pythiorum. Verum ibi restituendum est ἀντεβόησαν. Cuius explicatio est, ex sequentibus ducta, quod legitur in cod. Gott. ἀντηγώνισαν. Est autem hæc licentia, de qua nunc sermo, inter eas, in quibus exempla augere periculosissimum. Iam Empedocles quidem, etsi multum abest, vt tanta audacia in versum hexametrum grassatus sit, quanta nunc alicui grassatus videatur, hanc tamen licentiam admittere potuit; nec dictio Empedocle indigna, qui alibi, non dissimili ratione, ὀχετεύειν dixerit v. 340. Sturz. quem locum apponere debuerat Peyronus; nec mira, in hoc maxime poeta, compositio verbi paullo, vt nunc videtur, rarior. Ita vt hoc quoque verbum, ὑποχετεύειν, deinceps, Empedoclis auctoritate, numerandum sit inter antiqua et bene græca.

Vocabulum λόγος historicum magis quam poeticum fuisse dixi. Id de epica poesi dictum volui. Quare illo abstinuit, bono consilio, Apollonius Rhodius; qui, si discesseris ab vnico loco III. 1141. nescio an nusquam vocem vsurpauerit. Ibi autem est: αἱμυλίοισι λόγοισιν: ita vt auctoritatem prætendere posset Apollonius Homeri et Hesiodi. Sic, quod Parmenides in exordio illo suo v. 15. μαλακοῖσι λόγοισιν, itidem est Homericum ex Odyssea I. 56. Verum Parmenides etiam sine Homeri auctoritate ita loquuturus erat.

Apud Pindarum frequens est vocabulum λόγος, varia significatione. Sed ex lyricis nullum propius est exemplum, quam quod legitur in exordio illo ab omnibus celebrato Stesichori. Qui quum Helenæ Himerensis

puellæ, amicæ quondam suæ, perfidiam tecte castigaturus, Helenam antiquam, tamquam mulierem secutuleiam, lacerasset in carmine, cuius hoc initium, si fidem habemus Ptolemæo Hephæstionis:

Ἑλένα ἑκοῦσ᾽ ἀπῆρε:

postea palinodiam cecinit ita incipientem:

Οὐκ ἔστ᾽ ἔτυμος λόγος οὗτος· οὐδ᾽ ἔβας ἐν
νανσὶν ἐϋσσέλμοις,
οὐδ᾽ ἵκεο Πέργαμα Τροίας.

Sic constituendi sunt versus. Nisi hexameter fuerit: a quo non videtur abstinuisse Stesichorus. Fragmentum hoc exstat apud Platonem in Phædro p. 243. A. Quæ sunt priora, *οὐκ ἔστ᾽ ἔτυμος λόγος οὗτος*, in prouerbium deflexit Athenæus, non solum lib. V. p. 216. B. sed etiam lib. XI. p. 505. B. Eadem iterum inculcat in Phædro Plato pag. 244. A. Platonem imitatus est Maximus Tyrius dissert. XXVII. init. Addo Philostratum vit. Apollon. VI. p. 246. Vbi quæ leguntur, *καὶ ἔστιν ἔτυμος ὁ λόγος οὗτος*, quum pendere videantur a particula *εἰ*, sensum quidem præbent, sed sensum et nimis detortum ab eo, quo ista verba dixit Stesichorus, et qui modestiam inferat ab Apollonio alienam. Quare cum Morello putauerim scribendum esse *οὐκ*, non *καί*: vt legamus ipsa Stesichori verba. Quæ tamen non ab ipso Philostrato adscripta esse censeo, sed a doctiore aliquo librario inserta. Ea alius quum videret non cohærere cum præcedentibus, *οὐκ* mutauit in *καί*. In eumdem finem nunc video disputasse Wesselingium Probabil. cap. XXXVII. pag. 330. sqq. Stesichori verba etiam Cicero ad Atticum IX. XII. vertit in prouerbium. Quod animaduertit Wesselingius, qui et Aristidem laudauit. Ad Stesichori versum eum, quem ex Ptolemæo apposui, fortasse spectat Hesychii glossa: *ἀπῆρεν· ἀπεδήμησεν. Κατᾶραι· ἀντὶ τοῦ ἐλθεῖν*, haud dubie de longa profectione, ex Theopompo est in Bekkeri Anecdotis vol. I. p. 104.

III.

Μηλονόμοι τε Σάκαι, γενεῇ Σκύθαι· αὐτὰρ ἔναιον
Ἀσίδα πυροφόρον· νομάδων γε μὲν ἦσαν ἄποικοι,
ἀνθρώπων νομίμων.

Strabo VII. p. 464. A. ed. Almel. pag. 303. Cas. *Καλεῖ δὲ καὶ* [Ephorus] *Χοιρίλον εἰπόντα ἐν τῇ διαβάσει τῆς σχεδίας, ἣν ἔζευξε Δαρεῖος·*

Μηλονόμοι τε Σάκαι, γενεᾷ etc.

Locus est tom. II. pag. 370. ed. Tzschuck. cum hac nota: *Vatic. A. Ven. Mosc. ἄνθρωποι ἀποίκων (Mosc. ἀπ' οἴκων) νομίμων, et sic ante Casaubonum, qui metricam rationem instaurauit.* Codicis Mosquensis lectio expressa est etiam in interpretatione Strabonis latina confecta a Guarino, edita a. 1472. de qua v. Goetz. Memorab. Bibliothecæ Regiæ Dresd. vol. I. p. 446. Ea hæc præbet: *Vocant* [immo *Vocat*] *autem Choerilum qui in Darii transitu cum rate quam ipse construxit Opiliones appellat Sacas origine Scythas: Asiam incolentes frugiferam creati ex nomadibus homines ex iustis domibus.* Correxit Casaubonus. Præterea pro *γενεᾷ* scripsi *γενεῇ*, et post *ἄποικοι* distinxi.

Sacæ ex mente Choerili fuerunt cognati et coloni Scytharum, quos quidem Scythas *nomades* appellat et *ἀνθρώπους νομίμους*, id est *δικαιοτάτους ἀνθρώπων*, vt Homerus nobili loco, Iliad. XIII. 6. Quem manifesto innuit Choerilus. Igitur hunc adde Heynii ad Homerum disputationi. Nos breuiter, quid rei sit, exponemus. Nomen quidem *Scytharum* ignorauit Homerus. Sed ab eodem *Ἱππημολγῶν* et *Ἀβίων* nomine designari

populos, quos postea communi, sed ea vaga *Scytharum* appellatione amplexi sunt, et Straboni cum Ephoro fuit veri simile, nec nos negamus. Hoc autem certum est, ab Choerilo ita intellectum esse Homeri locum. Hinc porro sequitur, vt Choerilus *Scythas* veros et antiquissimos, quorum *Sacae* cognati et coloni, in Europa collocauerit. Nam illi Homeri Ἱππημολγοί et Ἄβιοι, pariter ac Thraces Mysique, Europae, quae postea dicta est, fuerunt populi. Quod dudum vidit, praeeunte Posidonio, Strabo pag. 453. 464. fin. et 465. Vt taceam Ephorum, qui et ipse de Scythis Europaeis loquitur. Sed hoc quemque Homeri verba docent. Igitur Scythis proprie dictis, Europaeis, Choerilus opponit Sacas, Scythicum genus, sed *Asianos*:

γενεῇ Σκύθαι· αὐτὰρ ἔναιον
Ἀσίδα πυροφόρον·

Atque hoc, quod primariam et propriam Scytharum sedem facit Europam, facit consentientibus antiquissimis scriptoribus. Qui etsi interdum Scythas seorsum ponunt, ita vt neque Asiae neque Europae eos diserte assignent: in iis tamen illos terris ponere solent, quas postea Europae nomen occupauit, et *Asiae* ita opponunt Scythas, vt *Europae* coniunctiores videantur. Ex recentioribus Apollonius Rhodius, Homerum fortasse respiciens, *Scytharum* non meminit, nisi in ea regione, quae aperte est Europae: IV. 288. 320. Praetereo alios. Quare Europaeis Sacas, *Asianos*, recte opponit Choerilus. Iam de his nolo cumulare, quae ex Herodoto, Diodoro, Strabone, Ptolemaeo, Dionysio Periegeta, Curtio, Agathemero, aliis, cognoscantur. Vnde assequi, quam regionem Asiae habuerint Sacae, licet. Herodotus hac de re nihil: cuius locus ante omnia memorandus est, VII. 64. Sed quid senserit, quum ex hoc loco, vbi iuxta Bactrios collocantur, tum ex altero, III. 93. colligitur. Quod autem Herodotus Sacas fuisse Scythas Amyrgios

tradit, id confirmat Hellanicus apud Steph. Byz. in v. *Ἀμύργιον*. Quibus lucem affundit Ctesias apud Phot. pag. 108. sq. Quippe cognata sunt nomina *Amorges* et *Amyrgii*. Arrianus in vniuersum Scythas distinguit, vt alii, Europæos atque Asianos; ita vt illos, Europæos, potiores et maximos fuisse dicat, lib. IV. init. In quo hoc notabile, quod *Abios* Asiæ assignet, contra Homeri mentem: nimirum non vno semper loco constitit tam anceps nomen. Sacas autem commemorat idem inter Darii apud Arbela copias, III. VIII. p. 114. Gron. *Εἵποντο δὲ αὐτοῖς καὶ Σάκαι· Σκυθικὸν τοῦτο τὸ γένος, τῶν τὴν Ἀσίαν ἐποικούντων Σκυθῶν· οὐχ ὑπήκοοι οὗτοι Βήσσου, ἀλλὰ κατὰ συμμαχίαν τὴν Δαρείου*. Iterum commemorantur in acie, cap. XI. p. 119.

Hæc, quæ dixi, nolim ita intelligi, acsi Scythas in Europa aborigines fuisse putem. Id neque Herodotus voluit, qui lib. IV. 11. eorum opinionem adoptet, quibus Scythæ antiquissimis temporibus in Asia trans Araxem habitasse videbantur: ad quem fluuium etiam Diodorus Scytharum initia refert. Verum ea tempora tam sunt antiqua et tam obscura, vt Scytharum historia ab eo demum tempore recte capessatur, quo *Europæi*, vt dixi, fuerunt. Quod si ponimus, acquiesci poterit in eo, quod Choerilus tradit, Sacas Scytharum colonos, *ἀποίκους*, fuisse: quum, si ad tempora illa antiquissima et Scytharum initia assurgere velis, dubitatio subeat, an *patres* potius et *conditores* quam *coloni* Scytharum fuerint Sacæ. Vnus, quod sciam, hac in re ad Choerilum accedit testis, Scymnus Chius in versibus iis, quos ex Holstenii schedis publicauit Ryckius, post Holstenii in Stephanum castigationes pag. 378. Ii tamen non addunt nouum pondus Choerili narrationi, sed tantum confirmant Strabonis de Choerilo testimonium. Scymnus enim hoc loco ex Ephoro profecit. Quod et ipse fatetur, et aperte liquet, si Strabonis locum pag. 463. 464., qui et ipse Ephorum exscripsit, cum Scymno con-

feras. Ephorus autem nullo alio, quam Choerili, testimonio probasse videtur, Scytharum colonos fuisse Sacas. Vt quodam modo pro paraphrasi Choerileorum versuum habenda sint, quæ scripsit Scymnus Chius. Sunt vero hæc:

— καὶ κατοικῆσαί τινας
εἰς τὴν Ἀσίαν ἐλθόντας, οὓς δὴ καὶ Σάκας
καλοῦσιν.

Eadem apud Scylacem pag. 138. ed. Gron. vbi in corrupta voce Σάβακας frustra se torsit Gronouius.

Quos Homerus nominibus designat a vitæ genere petitis, eos Choerilus νομάδας appellat simpliciter; vt solebant Choerili ætate Scythas illos. Aeschylus: Σκύθας νομάδας. Et sic Herodotus passim, veluti lib. I. 15. VI. 40. 84. Sollemnis apud poetas appellatio. Νομάδεσσι γὰρ ἐν Σκύθαις: Pindarus loco propter Aristophanis in Auibus imitationem nobili. Sacæ μηλονόμοι dicuntur, vel, quod nescio vnde Choerilo constabat, ouium maximam curam fuisse Sacis, vel, quod Asiam ouibus abvndare recordabatur. Quod de singulis populis testatur Herodotus V. 49. et de vniuersa Asia Aeschylus in Persis: Ἀσιάδος μηλοτρόφου. Cæterum quod ad Homeri locum attinet, grammaticorum de nominibus illis, quo modo scribenda sint ac iungenda, disceptationes insigni et pæne incredibili exemplo docent, quam imperiti etiam veteres Homericæ dictionis et constructionis fuerint. Hodie nihil ibi dubium esse potest. Quod apud Homerum nomen est populi, Ἱππημολγοί, id tamquam *Scytharum* adiectiuum adhibuit Hesiodus, vel potius Hesiodorum vnus, apud Strabonem VII. p. 460. C. Almel. tom. II. p. 362. Tzschuck. Qui versus ita scribendus est:

Αἰθίοπας, Λίγυάς τε ἰδὲ Σκύθας ἱππημολγούς.

Est inter Hesiodi fragmenta v. 46. Tractat Heynius ad Homeri locum laudatum. Cur *Libyes* inuehendi essent,

Ligyes expellendi, demonstrare debebat Heynius. Idem egit ante Heynium Clericus, sed futili de caussa. Populos orbis terrarum extremos designare videtur poeta. Σκύθας autem, vltima breui, quo modo offendere potuit Heynium in Hesiodo? Aliam rationem iniit, in hoc nomine licitam, Orpheus Argon. 1078. Atque hanc, quæ est apud Hesiodum, mentionem *Scytharum* habemus antiquissimam.

Restat in verba Choerili, quantum ad dictionem attinet, obseruatio vna et altera. Leuia sunt, sed neque hæc prætermittenda. De vocabulo Ἀσὶς quæ obseruari possent, pleraque exhausi supra. *Asiam* ab Choerilo sensu latissimo dictam esse, hic quoque locus demonstrat. Nam Sacæ in intima Asia habitabant. Ἀσία, Ἀσίς, Ἀσιάς quo modo ad metricam rationem discernantur, res nota est. Potest horum omnium antiquissimum videri Ἀσίς. Apud Homerum est Ἀσίῳ, prima longa. Quem sequutus Virgilius iis locis, vbi *Asia prata* et simil. dixit sensu Homerico. Etymi, quod ἄσις fuit, quantitas nihil decernit: quæ mature cum ipso etymo in obliuionem abiit. Et Ἀσὶς quidem tum vel maxime primam producere debebat, quum recordabantur, in etymo ἄσις eamdem corripi. Ἀσίη, prima breui, conueniebat epicis poetis; Ἀσιὰς iambico metro. Ἀσίη quidem, prima breui, ab iis primum vsurpari coeptum est, nisi fallor, qui sibi persuasissent, hoc nomen repetendum esse ab nomine *Asiæ* feminæ. Quod mature factum esse suspicor. *Asiæ* Oceanitidis nomen est apud Hesiodum in Theogon. 359. qui versus corrigendus est:

Κρισσηΐς τ', Ἀσίη τε.

Inanes argutiæ sunt, quæ habet scholiastes Apollonii I. 1349.: Ἀσίδα et similia habere τύπον ὑποκοριστικοῦ, nec tamen esse ὑποκοριστικά.

Vocabulis non Homericis adnumerandum est νόμιμος, quum ne νόμος quidem Homericum sit, si discedas

ab hymno Apollinis v. 20. Talia, etiam sine Homeri auctoritate, partim ab Hesiodo aliisque monstrata, partim ab aliis poetis et ex sermone communi accepta, sed hæc quidem modice, vsurpauit Choerilus. Est tamen in vi et vsu vocabuli *νόμιμος*, quod probe notes. Homerus *δικαιοτάτους* dixerat. Eosdem Choerilus *νομίμους* appellauit, eo fere sensu, quo Strabo illos *εὐνομεῖσθαι πρὸς ἀλλήλους* dicit. Infrequens est hæc vocis *νόμιμος* significatio. Sed vel hoc exemplo defenderim, quod legitur in Xenoph. Memorab. I. II. 41. *νόμιμοι ἄνδρες*. Quo loco Schæferus ad Gregor. Cor. pag. 405. *νομικοὶ* restitui voluit, si bene capio viri præstantissimi sententiam.

Iam vero demonstrandum est, quam recte hoc, quod tractaui, Choerili fragmentum a me collocatum fuerit in Persicis, et quonam illud Persicorum loco lectum fuisse videatur. Simul agitanda est quæstio, quam supra attingere satis habui, grauissima. Ea vero est tripartita. An Choerili carmen hoc, quod appellamus Persica, præter Xerxem, etiam Darii contra Græcos bellum continuerit. An Darii bellum græcum singulari carmine cecinerit Choerilus. An Scythicam Darii expeditionem descripserit Choerilus. Apparebit, ex his omnibus nihil verum esse.

Vossius, quem supra laudaui, de historicis græcis IV. VII. p. 203. postquam carmen Choerili illud de victoria Græcorum a Xerxe reportata commemorauit, alia eiusdem opera recensens: *Inter ea, quæ Suidas innuit potius, quam indicat, fuit carmen de victoria aduersus Darium.* Cuius rei testimonium affert illa ipsa Strabonis verba: *Καλεῖ δὲ Χοιρίλον εἰπόντα ἐν τῇ διαβάσει τῆς σχεδίας, ἣν ἔζευξε Δαρεῖος.* Et ex eo carmine esse hos Choerili versus: *Μηλονόμοι τε Σάκαι.* Vossii sententiam, sed paullulum deflexam atque immutatam, adoptauit Schellenbergius ad Antim. pag. 39. qui, vt in re certa: *Choerilus*, inquit, *qui bella Græcorum cum*

Dario et Xerxe, nobili carmine celebrauit. Idque securi repetierunt alii: Harlesius in bibl. gr. vol. II. p. 293. Buhlius ad Aristot. vol. IV. p. 535. sq. Has opiniones operose refutare, et difficultates ostendere, quæ insint, præsertim in Schellenbergii coniectura, prorsus superuacaneum foret, quum Strabonis locus, quo vnice nititur Vossii et Schellenbergii opinio, tantum absit, vt illam iuuet, vt omnia alia probet. Quid enim? num de bello Darii aduersus Græcos loquitur Ephorus? Minime vero. Quamnam tunc ratem struxit Darius? Manifestum est, ratem ab Ephoro spectari eam, qua Darius, Scythas debellaturus, iunxit Bosporum Thracium. Possit etiam Ephorus loqui videri de ponte, quem in eadem expeditione Istro iniecerunt, iussu Darii, Iones. Sed de rate Bospori Thracii loquitur. Hinc cogitur, Choerilum non, quod voluerunt Vossius et Schellenbergius, græcum Darii bellum, sed quæ est sententia Casauboni, eiusdem aduersus Scythas expeditionem singulari carmine descripsisse. Casaubonus ad Strabonem: *Nisi sequerentur illa,* ἣν ἔζευξε Δαρεῖος, *crederem eodem ex opere Choerili esse hæc sumpta, ex quo sunt illa, quæ apud Iosephum leguntur, quæ ex catalogo copiarum Xerxis Græciam petentis sunt descripta. Nunc dicendum est, et de bello Xerxis aduersus Græcos esse scriptum a Choerilo, et de ea Darii expeditione aduersus Scythas, quam narrat Herodotus Melpomene.*

Verum hoc quis sibi persuaserit? Obstat aliorum scriptorum silentium. Obstat argumenti ipsius tenuitas, poeta græco vix digna. Obstat, non vna de ratione, Choerili fragmentum. Quod quum ex recensione populorum a Persarum rege per pontem traductorum, eaque longa et vberiore decerptum esse pateat, duplex difficultas oritur. Quum enim ex Iosepho et Eusebio abunde constet, in carmine de Xerxe a Choerilo copiosam et bene longam populorum trans Hellespontum

missorum recensionem institutam esse: quonam Choerilus consilio similem recensum instituisse videatur in Scythica Darii expeditione describenda, quæ quidem, si cum Xerxis expeditione contendatur, ignobilis, et a varietate et multitudine populorum non valde laudanda fuit? Et quo modo, si fecit, sibi cauere potuerit, ne alterutro loco in ieiunitatis vitium incurreret, cui iidem populi bis enumerandi essent? Accedit, quod nescio an nullo testimonio liqueât, Sacas, de quibus agit Choerilus, cum Dario contra Scythas profectos esse. Sane Darii tempore eatenus a Persis perdomiti erant Sacæ, vt, teste Herodoto III. 93. legitimum tributum penderent. Cf. eumdem lib. VII. 9. Atque commemorantur illi in pugna Marathonia, VI. 113. Verum vel sic periculosum erat Dario, contra Scythas ducere gentem origine Scythicam. Igitur si Choerilum de Scythica expeditione scripsisse, et per se parum probabile est, neque aliunde, nisi ex vno Strabonis loco colligi potest; si porro illud Choerili fragmentum, quo ibi vtitur Ephorus, tale est, vt ægre tantum ad Scythicam expeditionem referatur: quis est, quem non subeat dubitatio, an numquam de expeditione illa scripserit Choerilus? Sensit Casaubonus, ac sentit quisque, Choerili fragmento, si ipsum spectetur per se, aptiorem sedem inueniri non posse, quam in ea carminis de Xerxe parte, ex qua versus nonnullos seruauerunt Iosephus et Eusebius; nimirum in recensione populorum Xerxis in Græciam traiectorum. Atque ita est. Quæ refragantur, Strabonis verba hæc: ἣν ἔζευξε Δαρεῖος, quum non vno modo deflecti atque expediri possint, ita vt vel Straboni is, qui inest, error tribuatur, vel ipsi Ephoro: nobis hæc ratio facillima visa est. Ephorus nihil scripserat, nisi hæc: *Χοιρίλος ἐν τῇ διαβάσει τῆς σχεδίας· Μηλονόμοι* etc. vel similiter, non addito *Xerxis* nomine, quum Choerili carmen de Xerxe tum in manibus esset omnium, et proinde nemo de alia quam Xerxis rate cogitare posset.

Strabo, qui Choerili carmine vel plane non vtebatur, vel certe tum Ephori disputationem excerpere satis habebat, Choerili rerum immemor, dum Ephorum excerpebat, parum opportune Darii illam ratem recordatus, inseruit verba: ἣν ἔζευξε Δαρεῖος. Potuit autem facile hoc accidere Straboni, vt animo Scythicis rebus repleto, in quibus totus Ephori locus versaretur, etiam Scythica Darii expeditio male occurreret.

Quam recte autem in catalogo Choerili locum suum obtinuerint Sacæ, ex Herodoto liquet, VII. 64. Etiam classiarios milites præbuerant Sacæ: VII. 96. 184. Et commemorantur Sacæ in proelio Platæensi, IX. 31. 71. et apud Thermopylas, a Diodoro XI. VII. Præterea id quoque memoria dignum, quod sine hoc fragmento non satis constaret, recensionem populorum Persicorum ibi insertam fuisse ab Choerilo, vbi exercitus per Hellespontum transitum describeret. Qua in re discessit ab Herodoto. Ac bene discessit, vt poeta. Quippe nihil dabatur aptius et magis magnificum, quam Asiæ populos recensere eo temporis momento, quo per pontem, immensum et plus quam humanum opus, ex Asia in Europam transirent, spectante e littoribus rege. Cf. Herod. VII. 56.

IV.

Τῶν δ' ὄπιθεν διέβαινε γένος θαυμαστὸν ἰδέσθαι,
γλῶσσαν μὲν Φοίνισσαν ἀπὸ στομάτων ἀφιέντες,
ᾤκεον δ' ἐν Σολύμοις ὄρεσιν, πλατέῃ ἐπὶ λίμνῃ·
αὐχμαλέοι κορυφάς, τροχοκουράδες· αὐτὰρ ὕπερθεν
ἵππων δαρτὰ πρόσωπ' ἐφόρευν ἐσκληκότα καπνῷ.

Iosephus lib. I. contra Apionem pag. 454. vol. II. Hauercamp. *καὶ Χοιρίλος δὲ ἀρχαιότερος γενόμενος ποιητὴς μέμνηται τοῦ ἔθνους ἡμῶν, ὅτι συνεστράτευται Ξέρξῃ τῷ Περσῶν βασιλεῖ ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα. καταριθμησάμενος γὰρ πάντα τὰ ἔθνη, τελευταῖον καὶ τὸ ἡμέτερον ἐνέταξε λέγων·*

Τῷ δ' ὄπιθεν —

Post Choerili versus addit hæc: *δῆλον οὖν ἐστιν, ὡς οἶμαι, πᾶσιν ἡμῶν αὐτὸν μεμνῆσθαι, τῷ καὶ τὰ Σόλυμα ὄρη ἐν τῇ ἡμετέρᾳ εἶναι χώρᾳ, ἃ κατοικοῦμεν, καὶ τὴν Ἀσφαλτῖτιν λεγομένην λίμνην. αὕτη γὰρ πασῶν τῶν ἐν τῇ Συρίᾳ λίμνη* (pæne prætulerim *λιμνῶν*, quod in edit. Gen., monente Hauercampio) *πλατυτέρα καὶ μείζων καθέστηκεν. καὶ Χοιρίλος μὲν οὕτω μέμνηται ἡμῶν.*

Eusebius in Præp. euang. lib. IX. cap. IX. pag. 412. ed. Colon. siue Lips. hæc habet: *Χοιρίλου ποιητοῦ, περὶ Ἰουδαίων. Τοῦ δὲ Ἰουδαίων ἔθνους καὶ Χοιρίλος* (legitur *Χοίριλος*) *ἀρχαῖος γενόμενος ποιητὴς μέμνηται, καὶ ὡς συνεστράτευσαν τῷ βασιλεῖ Ξέρξῃ ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα. λέγει δὲ οὕτως·*

Τῶν δ' ὄπιθεν —

Mox: *Δῆλον δ' ἐστὶν ὅτι περὶ Ἰουδαίων αὐτῷ ταῦτ' εἴρηται, ἐκ τοῦ καὶ τὰ Ἱεροσόλυμα ἐν τοῖς παρ' Ἕλλησι Σολύμοις ὀνομαζομένοις ὄρεσι κεῖσθαι, πλησίον δὲ εἶναι τὴν Ἀσφαλτῖτιν*

λίμνην, πλατυτάτην ουσαν κατὰ τὸν Ποιητὴν, καὶ μείζονα πασῶν τῶν ἐν Συρίᾳ λιμνῶν. Ταῦτα μὲν οὖν καὶ οὗτος.

In constituendis Choerili versibus nunc Iosepho obsequutus sum, nunc Eusebio, delectu instituto. De qua re infra ratio reddetur.

Nunc attingenda est ea quæstio, quam declinare nolui, quum et magnos illa viros exercuerit, et ad rem pertineat satis memorabilem. Præterea ea ad explicandum Choerili locum multum facit. Nimirum lis est, vtrum de Iudæis, quod statuunt Iosephus et Eusebius, loquatur ibi Choerilus, nec ne. Affirmarunt inter eos, quos ad Iosephum Hauercampius excitauit, Salmasius et Grotius; negauerunt, et erroris Iosephum accusauerunt, Bochartus et Cunæus. Quibus accedit Barlouius. Præter illos Hauercampius laudat Scaligerum et Sam. Petitum in Animaduers. ἀνεκδότοις. Hi quid habeant, nescio; nec videntur noua attulisse. Verum etiam Iunius nominandus erat, de coma cap. VI. et Casaubonus ad Sueton. Aug. XLV. Turnebus quoque ex Eusebio profert Choerili versus, in Aduers. XIX. IX. Qui quod a *Clemente* laudari Choerilum scribit, scripsit aberrante memoria: *Iosephum* dicere voluit.

At quod controuersiam illam attinet, inter omnes Grotius disputauit accuratissime, et ita, vt caussam suam, me quidem iudice, victricem fecerit. Sed iuuat audire partes. Quare ego vtriusque sententiæ argumenta et capita, at breuiter tamen, et summam tantum, proponam.

Bochartus lib. I. de Phoenicum coloniis cap. VI. p. 361. sqq. in Geogr. S. edit. III. a. 1692. vbi Pisidiæ incolas commemorauit Pisidas, Solymorum sobolem: *Solymos*, inquit, *porro Phoenicum esse colonos sermo palam arguebat. Choerilus* — *Τῷ δ' ὄπιθεν διέβαινε γένος* etc. *Nempe Strabone teste lib. 14. prope Phaselidem est λίμνη; ὑπέρκειται δ' αὐτῆς τὰ Σόλυμα ὄρη.* Solymos Lyciis fuisse vicinos; id colligi ex Homero. At

Iosephum, hæc ignorantem, de Iudæis cogitauisse, et Asphaltite lacu, et Hierosolymis. Atque sic interdum confundi *Solymos* et *Hierosolyma.* In quam rem Bochartus laudat Tacitum Histor. V. 11. Stephanum Byz. in v. *Ἱεροσόλυμα,* Tzetzen Chil. VII. vs. 840. Iosephum ipsum Antiq. lib. VII. cap. III. Sed obstat, vt Bochartus ait: *quod iidem populi versu statim sequente describuntur τροχοκούραδες, id est vertice tonso in orbem. Quod tonsuræ genus Iudæis lege fuit interdictum Leuit.* 19, 27. Eo autem modo se totondisse Arabes; quod docet ex Herodoti loco mox apponendo et ex Ieremia. Proinde morem in Arabia ortum inde manasse ad Solymos. Iam vero, vt probet id, in quo rei cardo vertitur, Solymos Arabum siue Phoenicum fuisse colonos, omnes etymologiæ latebras excutit Bochartus, et montium, vrbium, deorum nomina aliquot, apud Solymos et Phaselitas, Solymis vicinos, obuia deriuat ex sermone phoenicio, siue arabico, siue hebraico. Exempla qui videre cupiat, veluti qui Homericam Chimæram ex lingua illa orientalium populorum illustratam habere velit, ipsum Bochartum adeat. Qui doctrinæ et acuminis in eam rem impendit multum. Quod vero idem Choerili quoque locum in testimonium vocat, et ex hoc maxime loco effici statuit, vt Phoenicum coloni fuerint, et Phoenicum linguam ritusque vsurpauerint Solymi, id statim reprehensione dignum, quandoquidem hoc demum demonstrandum erat, quod ponit Bochartus, de Solymis loqui Choerilum.

Iisdem fere argumentis pugnat, sed minus accurate, et eamdem sententiam profitetur P. Cunæus de republica Hebræorum lib. II. cap. XVIII. pag. 266. sqq. Iudæos non fuisse *τροχοκούριδας,* hoc est, *in orbem tonsos.* Intelligendos esse montes Solymos alios, procul a Palæstina sitos, ab Homero celebratos Odyss. V. Hos Pisidarum esse, maximis vetustissimisque auctoribus testantibus. Eos etiam stagnum quoddam in vicino po-

nere. Phoenicum autem idioma latissime patuisse. Quod de stagno monet Cunæus, Strabonis locum innuit a Bocharto indicatum. Qui est pag. 982. B. ed. Alm.

Neque Barlouio ad Iosephum Choerilus de Iudæis loqui videbatur. Caussam ille non declarauit.

His contrariam sententiam primus, puto, præiuit Hadrianus Iunius de coma c. VI. pag. 589. ed. Basil. vbi ex Eusebio laudat verba Choerili hæc: αὐχμαλέοι κεφαλὰς τροχοκουράδες. In quibus quum animaduertisset, τροχοκουράδας non recte dici posse Iudæos, primus coniecit, fortasse vicinarum gentium morem Iudæis poetice tribuisse Choerilum. Eum autem morem fuisse apud Arabes, teste Herodoto.

Quam sententiam vberius exornans Salmasius in epistola de cæsarie et coma pag. 46. sqq. et pag. 50. sq. et pag. 82. illud tondendi genus rem fuisse lege Iudæis prohibitam docet, atque Mosen eo præcepto comæ in orbem non tondendæ voluisse, vt Iudæi separarentur diuerso capillitii habitu a vicinis gentibus Chananæis siue Phoenicibus, et Arabibus; sed absque dubio Choerilum poetam tondendi modum, Phoenicum Arabumque proprium, attribuisse Iudæis. Rem breuiter attingit Casaubonus ad Sueton. Aug. XLV. sed de Iudæis Choerili verba accipit sine hæsitatione.

Denique et Grotius, Annotat. in Lucam III. 14. pag. 727. tom. I. ed. Hal. et in Leuit. XIX. 27. pag. 124. edit. Hal. de Iudæis loqui statuit Choerilum. Antiquis quidem *Solymos* montes Lycios fuisse, concedit Bocharto Grotius. Sed factum esse, vt et Iudæi, propter Hierosolyma, truncato nomine, Solymi appellarentur. Id quod Taciti et aliorum testimonia probant, ab ipso Bocharto prolata. Add. quos laudat Pinedus ad Steph. Byz. et Valerius Flaccus I. 13. Et quod τροχοκούραδας dixerit Iudæos, Choerilum, vt hominem Græcum, confudisse eos cum Arabibus vicinis eorum et tunc fortasse commilitonibus. Solymos Lycios intelligi posse negat

Grotius, qua de re hæc sunt eius verba: *sane Lycios lingua vsos Phoenissa, id est, Syriaca, aut ad eam accedente, quis credat?*

Recte omnia. Bocharti disputatio quum tota pendeat de ea coniectura, qua Solymos Phoenicum linguam vsurpasse statuit, ruit et nulla est, quandoquidem ea, quibus coniecturam illam fulcire studuit Bochartus, infirma sunt et nulla. Etenim vt credamus, voces illas Solymorum, quas ex phoenicio sermone repetit vir doctissimus, phoenicia origine esse omnes: propterea non vsi sunt phoenicia lingua Solymi, non ἀφῆκαν ἀπὸ στομάτων γλῶσσαν Φοίνισσαν. Persicæ linguæ cum nostra miram quamdam similitudinem intercedere affirmant, qui persice sciunt: at nemo sanus Germanos persice loqui dixerit, vel Persas germanice. Tam periculosa res est etymologiæ studium.

Sed ad exornandam eam sententiam, quam meam feci, adspergenda sunt nonnulla. Enimuero, etsi Iosepho Eusebioque eatenus adstipulamur, vt de Iudæis loqui Choerilum ponamus, multum tamen abest, vt accuratam Iudæorum notitiam habuisse videatur Choerilus. Qui primum in eo deceptus est, quod tonsam in orbem comam tribuit iis, qui hac ipsa re distincti essent a vicinis suis, Arabibus, quod comam haberent non tonsam. Quem Choerili errorem notare debuerat Iosephus, vt monuit Salmasius l. l. pag. 51. Sane de Iudæis nihil aliud compertum habuisse videtur Choerilus, quam hoc: populum esse Phoenicium in interiore Asia, miro quodam habitu; montes ibi esse, *Solymos* vel simili nomine, et lacum quemdam insignem, nimirum Asphaltiten. *Solymos* montes quod attinet, non dubitandum est, quin in Iliade Homerus *Solymos* in vicinia Lyciæ posuerit, eo fere loco, quo a Strabone positos videmus. Quamquam non incredibile est, iam Homeri ætate vagum fuisse Solymorum nomen: si quidem quæritur, an *Solymos montes* is, a quo est Odys-

seæ liber quintus, v. 283. non prorsus eidem regioni assignauerit, cui *Solymos* Iliados auctor libro sexto. Qua de re aliquid suboluit Straboni lib. I. pag. 39. et pag. 59. 60. Almel. Sed ea ætate, quæ sequuta est Homerum, *Solymis* haud dubie idem accidit, quod aliis populorum apud Homerum et regionum nominibus. Nimirum quum aucta et amplificata orbis terrarum notitia, regiones eæ, quæ ignotæ et fabulosæ fuissent Homero, ignotæ fabulosæque esse desinerent, factum est passim, vt ea, quibus illas regiones appellauisset Homerus, nomina longius longiusque remouerentur et ad terras populosque longinquos relegarentur. Sic quum ad Græcos obscura quædam peruenisset de singulari quodam populo, Iudæis, et de *Hierosolymis* notitia: coeperunt, ac fortasse primus coepit Choerilus, ad eos referre *Solymos* illos montes, fabulosos et antiquis poetis celebratos. Nomen autem *Iudæorum* ignorasse videtur Choerilus. Quod nomen quidam in ipsam Iliadem inferre conati sunt, infando facinore: v. Heyn. ad Il. II. 783. Porro Choerilus propter mancam et obscuram, quam habebat, harum rerum cognitionem, Iudæis, siue per errorem siue poetica libertate vsus, quædam adscripsit, quæ Herodotus fortasse rectius aliis populis. De comæ habitu, quem ille ab Arabibus perperam transtulit ad Iudæos, certa res est. De capitis tegimento, quo Iudæos illos suos vsos esse tradit Choerilus, certe dubitari poterit. Omnino hoc reputari velim, quam variæ et quam confusæ, post irruptionem Xerxis, apud Græcos esse debuerint tot populorum imagines; quam variæ et confusæ narrationes. Simile quid nostra ætas, qui de orbe terrarum quanto meliora edocti eramus, quam tum Græci, experta est, quum vltimæ barbariæ stirpibus Europam peruagandam dedit insolens sortis voluntas. Diuersas illorum temporum de barbarorum gentibus et cultu auditiones diligentissime omnium, vt credere par est, distinxit Herodotus. Choerilum in ea re

minus anxie versari decebat, vt poetam. Atque hic opportune quæratur, quo modo militiæ apud Iudæos consuetudinem probent Choerili versus. Quam quæstionem Grotius ad Lucam attingit quidem, sed incertam relinquit. Idque sapienter. Certe ego nemini auctor sim, vt Choerili testimonio fretus Iudæos in exercitu Xerxis contra Græcos militasse scribat. Fieri enim potuit, vt Choerilus pro Iudæis haberet alium quemdam populum, et pauca illa, sed memorabilia, quæ vndecumque comperisset de Iudæis, affingeret iis, qui non essent Iudæi.

Iam de singulorum lectione versuum monebo. Qua simul occasione, quæ forte adhuc prætermiserim, addam, vel quæ incerta reliquerim, clarius eloquar. Cæterum Eusebius, si ex Iosepho deprompsit Choerilea, vt deprompsisse videtur, codice Iosephi passim meliore, quam nostri sunt, vsus est.

Vs. 1. *Τῷ δ'* apud Iosephum dedit Hauercampius, varietatem annotans nullam. Et sic Coloniensis siue Lips. a. 1691. *Τῷ δ'* habent, vbi Choerili versus ex Iosepho excitant, et Bochartus et Grotius. Male. *Τῶν δ'* Eusebius p. 412. Colon. et qui ex Eusebio hausit Choerili versus, Turnebus in Aduersariis, loco supra laudato. Hoc et Salmasius l. l. pag. 50. nescio an ex coniectura: Eusebium enim dubito an non inspexerit Salmasius. Non omnibus viris doctis innotuit, Choerilea illa et apud Iosephum et apud Eusebium exstare: vnus ex Iosepho illa protulit, alter ex Eusebio.

Versu secundo et tertio conficitur ea quæstio, de qua virorum doctissimorum suffragia audiuimus. Quum enim ex versu 2. appareat, de populo Phoenicio agere Choerilum, versu 3. euincitur, eum populum non posse alium esse, quam Iudæos, apud quos *Solymorum montium* vestigia supererant, vel potius superesse videbantur in nomine *Hierosolymorum*. Hic iterum discrepant Iosephus et Eusebius. *Ὠκέετ' ἐν* edidit Hauercampius,

et in codicibus Big. et Hafn. dicit esse: ᾤκει δ' ἐν. In aliis esse ὠκεῖν τ' ἐν et ᾤκουν τ' ἐν. Hoc, ὠκοῦν τ' ἐν, est in Iosephi Coloniensi, vtrum ex antiquioribus exemplaribus an ex Eusebio, nescio. Ὠικέετ' ἐν Salmasius quoque, et sic, nisi fallor, Grotius ad Lucam. Bochartus: Ὤκεε δ' ἐν. Sed Eusebius habet: Ὤικουν δ' ἐν. Atque hoc profectum fuerit ab Iosepho, vt paullo post ἐφόρουν, vulgares formæ pro poeticis. Choerilus scripserat: ᾤκεον δ' ἐν. Prorsus vt Homerus Il. XIV. 116.

ᾤκεον δ' ἐν Πλευρῶνι —

Cf. Il. XX. 218.

ἀλλ' ἔθ' ὑπωρείας ᾤκεον πολυπίδακος Ἴδης.

Quamquam hoc quidem exemplum ei dubitationi obnoxium, quam iniecturus sum ad versum quintum.

Deinde ὄρεσιν scripsi, qui vsus certe ante Choerilum, et Choerili ætate, et sæculis proxime sequentibus communis fuit. Mox apud Iosephum est: ἐνὶ λίμνῃ. Quod quamuis per se ipsum ferri posse concedo, at non bene iidem ἐν ὄρεσιν et ἐνὶ λίμνῃ habitare dicuntur. Subveniunt Eusebius, qui παρὰ præbet, et apud Iosephum codex Hauercampii Hafn. qui ἐπί. Optio datur, vtrum præferas. Ego hoc prætuli, quod alteri lectioni, ἐνί, propius. Παρὰ Eusebio exciderit in describendo. Neque propter hiatum aliquid timendum est. Si eum hiatum dicere velis. Illum quidem, qui vere hiatus dicitur, modice admisit Choerilus. Quod alibi significatum est. Cæterum quod dixi, apud Iosephum legi ἐνί, non ab omni parte verum est, quandoquidem ibi Coloniensis editio præbet παρά. Quid antiquiora exemplaria, nescio: at ἐνὶ habent, si fides Hauercampio. Quare quod παρὰ est in Coloniensi, fluxisse id existimo ex Eusebio, emendatoris ope.

Paullo grauior erit de versu quarto disputatio. Vbi quæ leguntur de tondendi modo, magnum momentum habuisse vidimus, ad diiudicandam quæstionem eam,

quæ est de populo, quem describere voluerit Choerilus. Ea maxime pendet de vocabulo τροχοκουράδες siue τροχοκούριδες. Ac primum remouere liceat Samuelis Petiti emendationem, nec necessariam, quantum equidem iudico, nec tolerandam. Nimirum ille in Animaduersionibus ἀνεκδότοις pag. 446. legendum censebat: τριχοκούριδες id est *omnino tonso capite.* Rem cognoui ex Hauercampii ad Iosephum monito. Librum Petiti studiose hic quæsiui et illic, deprehendere non potui: ita vt ne hoc quidem cognouerim, an ille diuulgatus fuerit. Sed vel sic parui facio istam coniecturam, nisi argumentis prorsus inexspectatis illam muniuerit: quod nescio an non potuerit facere. Certe Iudæis non conuenit hoc, τριχοκουρίδες. Et de Iudæis tamen loquitur Choerilus. Præterea, quum τριχοκουρίδες vox sit nuspiam obuia, et τροχοκουρίδες siue τροχοκουράδες semel tantum, apud Choerilum, ex Iosephi Eusebiique auctoritate, maior habenda erit horum virorum auctoritas, quam Petiti. Præsertim quum hæc compositio, quæ est in τριχοκουρίς, non magnopere se commendet. Quare mallem, hanc vocem omisisset in lexico græco Schneiderus, quamquam is non plane hoc, sed τριχοκουράς, recepit, et paullo post, parum sibi constans, etiam alteram vocem, τροχοκουράς, agnoscit. Igitur hanc lectionem, τροχοκουράδες, vel τροχοκουρίδες, præter Petitum retinuerunt et probauerunt viri docti omnes: Bochartus, Cunæus, Salmasius, Grotius, Iunius, Casaubonus. Iidemque omnes in eo consentiunt, vt *in orbem tonsos* interpretentur. Quem tondendi morem apud Phoenices et apud Arabes fuisse docent, et hinc quoque apud Saracenos. Francos quoque eodem modo se totondisse, exceptis regibus, et Siculos Andronici Comneni temporibus. Græci quoque, ephebi facti et viri, in orbem tondebantur. Quod probatur Plutarchi loco de mulierum virtut. pag. 261. F. et Dionis Chrysostomi de regno orat. II. emendati a Salmasio pag. 55.

Comam intonsam seruabant, qui delicati videri vellent. Hoc totum tondendi genus a Græcis appellatur: *περιτρόχαλα*. Pollux: *Κουρᾶς δὲ εἴδη, κῆπος, σκαφίον, προκόττα, περιτρόχαλα. τὴν προκότταν δὲ φασὶν* etc. Ex Salmasii emendatione; antea legebatur: *περιτροχαλάτην* vel *περιτροχαλάτη*. In eamdem emendationem incidit Iungermannus. *Περιτρόχαλα* Herodotus loco statim proferendo, Plutarchus l. l. et Nicetas Chon. vbi de Siculis agit; *περιτρόχαλον κουράν* Hesychius in v. *σκάφιον*, et quem ibi laudant, Photius. *Περίτροχα* Agathias, vbi de Francis. Idem *περικείρεσθαι* dicunt Dio l. l. et Interpretes septuag. in Ieremiæ IX. 26. XXV. 23. Cum nomine *περιτρόχαλα* manifesto cognatum est, et origine et significatione, quod Choerilus dicit, *τροχοκουράδες*. Verum quum *περιτρόχαλα* et quas alias protuli appellationes, valde sint ambiguæ, et omne id tondendi genus indicare possint, quo cæsaries in formam orbis redigitur, non vnum genus, sed plura fingi possunt, quæ omnia recte *περιτρόχαλα* appellaueris. Quæ res de eo pendet, qua capitis parte inceperit tonsura illa orbiculata. Quare populi illi omnes *περιτρόχαλα, in orbem,* tondebantur, sed diuerso modo. Id quod non fugit Salmasium, qui de his rebus doctissime disputauit. Nobis hic pauca quædam et satis perspecta attingere sufficit, sepositis iis, quæ altioris sunt indagationis. Græci antiqui, si communi plerumque vsu *περιτρόχαλα* tonsi fuisse dicuntur, cogitandum est de cæsariei habitu simplicissimo et maxime commodo, quo ipsum caput, et præter caput nihil, tegitur, capillis fronti imminentibus, tempora obtegentibus, ad colli initia vsque pertinentibus. Prætereo, quæ in hoc genere apud Græcos fuit, varietatem: fuit autem multa. Exempli gratia *σκαφίον,* quo meretrices vsas esse scribit Hesychius, non prorsus idem, quod *περιτρόχαλα*, sed potius tonsuræ *περιτροχάλου* speciem fuisse puto. Nimirum ephеborum habitum affectabant meretrices. Arctior est voca-

buli significatio, vbi barbaræ gentes περιτρόχαλα tonsæ appellantur. Ibique non solum de capillis decurtatis cogitandum est, sed de tondendo, quod proprie dicitur. De Arabibus memoria dignissimum et ad Choerilum explicandum est grauissimum, quod Herodotus narrat, III. 8. Διόνυσον δὲ θεὸν μοῦνον καὶ τὴν Οὐρανίην ἡγεῦνται εἶναι· καὶ τῶν τριχῶν τὴν κουρὴν κείρεσθαί φασι, κατάπερ αὐτὸν τὸν Διόνυσον κεκάρθαι· κείρονται δὲ περιτρόχαλα, περιξυροῦντες τοὺς κροτάφους. Vbi περιτρόχαλα communi iam consensu, vt videtur, legitur: olim ὑποτρόχαλα legebatur. At quæ præterea coniecit Valkenarius, eorum nihil verum, nisi περιξυρεῦντες. Herodoto de Arabibus assentit, vel certe non repugnat Plutarchus in Theseo pag. 2. F. Cuius verba detorsit Grotius ad Leuiticum XIX. 27. Hoc quidem apparet ex Plutarchi loco, fuisse, qui putarent Arabes esse ὄπιθεν κομόωντας, vt Abantes. Quod repugnat Herodoto. Nos in Herodoto acquiescimus, cuius sententia clarissima est. Si enim tempora circum et cætera περιτρόχαλα tonsi fuerunt Arabes, sequitur, vt frontem liberam et occipitii partem inferiorem, fere ad summas aures vsque, cultri ope, caluam habuerint. Atque hoc modo, a Græcorum, quem descripsi, more, prorsus alieno tonsi fuerunt populi Arabibus Herodoti confines, qui περικειρομένων et περικεκαρμένων nomine designantur apud Ieremiam. Et hoc sensu ego τροχοκουράδας credo ab Choerilo appellari, licet iniuria, Iudæos. Poterit sic hoc περιτρόχαλα, quo vsi sunt barbari, satis distinctum et separatum videri ab illo, quo Græci. Verum alia res est, in qua vtriusque generis discrimen et discrepantiam ponit Salmasius pag. 59. sqq. et pag. 248. sq. Quæritur enim, quo modo illos barbari adornauerint capillos, qui, rasis temporibus et rasa occipitii parte, in vertice remanerent. Triplici autem modo adornare potuerunt. Aut illos eatenus decurtauerunt, vt nuda esset et appareret occipitii, quam dixi, caluities. Aut promissos effluere iusserunt

in collum et ceruicem, ita vt caluum occipitium obtegeretur, et ipsi similes essent iis, qui ὄπιθεν κομόωντες dicti sunt a Græcis. Hac ratione explicari posset, quo modo quibusdam apud Plutarchum in Theseo Arabes videri potuerint ὄπιθεν κομόωντες, vt Abantes. Aut denique illos verticis capillos, ne effluerent, religauerunt et in nodum coegerunt. Id quod statuit Salmasius loco laud. Atque hunc morem apud quosdam barbaros fuisse non negauerim, immo credo. Sic Thraces eiusmodi nodum fecisse crediderim, de quibus Salmasius pag. 62. In eamdem opinionem incidit Heynius ad Hom. Il. IV. 533. Et propterea illi ἀκρόκομοι dicti fuerint, quamquam neque in hac voce est, quod nodum intelligi necessario iubeat. Verum quod eum morem apud barbaros illos omnes, qui περιτρόχαλα tonsi dicuntur, valuisse innuit Salmasius, in eo, puto, fallitur. Vt in Herodoto et Choerilo consistam, dubito, an neque hic neque ille de eiusmodi nodo cogitauerit. Nam hoc si voluissent, aliquid additури fuissent disertius, quo describeretur nodus iste perquam mirus. Id vero non faciunt, sed simpliciter hic περιτρόχαλα scribunt, ille τροχοκουράδες, in quibus vocabulis nihil inest de nodo capillorum. Itaque nescio an Herodotus et Choerilus eo modo adornatos voluerint verticis capillos, quem paullo ante commemoraui. Vt vel promissi defluxerint trans rasam occipitii partem; vel, quod malim, vt promissi quidem fuerint, sed eatenus decurtati, quo minus trans rasam illam occipitii partem effluere possent: qua ratione clarissime apparebat tonsura capitis orbiculata.

Hunc igitur capillorum in vertice relictorum orbem, densum et incomtum, et reliquarum partium, frontis, temporum, occipitii inferioris, nuditatem caluitiemque Choerilus denotauit his verbis:

αὐχμαλέοι κορυφάς, τροχοκουράδες·

In quibus hæc, αὐχμαλέοι κορυφάς, nunc paullo accura-

tius examinanda sunt. Quod ad lectionem pertinet, Eusebius hic male: κεφαλάς. Magis poeticum est et aptius ad sensum, quod Iosephus: κορυφάς. Illud exhibet Casaubonus ad Suetonium, vnde colligitur, Choerilea ex Eusebio deprompsisse Casaubonum, Iosephi certe tunc immemorem. Deinde idem Casaubonus comma habet post αὐχμαλέοι, vt sit:

αὐχμαλέοι, κεφαλὰς τροχοκουράδες·

Et sic editio Iosephi Coloniensis:

αὐχμαλέοι, κορυφὰς τροχοκούριδες·

Quæ interpungendi ratio contortior ea, quam nos cum plurimis aliis exhibuimus. Sed cur præferendum sit κορυφάς, exponendum est. Nimirum κεφαλάς nimis amplam pro hoc loco haberet significationem. Qui τροχοκουράς est, siue περιτρόχαλα tonsus, non potest esse αὐχμαλέος κεφαλήν. At idem est αὐχμαλέος κορυφήν. Etenim κορυφή, etsi interdum ita vsurpatur, vt verti possit *caput*, proprie tamen est *vertex capitis*. Sic, quod hymni Homerici in Mineruam XXVIII. 5. auctor et Hesiodus Theog. v. 923. dixerunt: ἐκ κεφαλῆς, id hymni in Apollinem auctor v. 309. paullo ad rem significantius:

ἐκ κορυφῆς

Qui locus propter hanc vocem memorabilis, quum nesciam, an κορυφή de vertice capitis humani non sit Homericum, si ab hoc vno loco discesseris. Frequentatum in hac fabula vocabulum κορυφή ansam dedit miri cuiusdam commenti, quo Mineruam quamdam finxerunt Neptuni, vel etiam, vt quidam, Iouis et *Coryphes* Oceanitidis filiam. V. Harpocr. in v. Ἱππία Ἀθηνᾶ, et quos ibi laudat Valesius: add. Clemens Alex. Protrept. pag. 17. C. ed. Col. Cum Etymologico M. in v. Ἱππία prorsus conspirat lexicon rhetoricum a Bekkero editum Anecd. vol. I. p. 207. sq. Vnde Κορυφῆς restituendum est alteri grammatico pag. 350. Bekk. quæ iam vulgauerat Montefalconius in Bibl. Coislin. Contra hic grammaticus alia quædam habet meliora et accuratius

scripta: primum hoc, quod Mnaseæ meminit; deinde, quod ita scripsit: ὡς ὁ μῦθος. Etymologicum M. et lexicon Bekkeri rhetoricum *hymnum* vocant ad testimonium, Homericum hymnum intelligentes haud dubie: at in hoc nihil est de curru Mineruæ. Ciceroni de nat. d. III. XXIII. *Coryphasiam Mineruam* reddendam putabat pro *Coria* Victorius Var. Lect. XI. XV. Quem vel Pausanias redarguit VIII. pag. 639. Omnino fraudem fecerunt Victorio Pausaniæ locus is, qui legitur in Messenicis pag. 371. et Clemens Alexandrinus. Quod non mirum, quum Clemens ille ipse l. l. et hinc Arnobius, quem Valesius laudat ad Harpocrationem, circa eam rem errauerint. *Coryphasia* neque a *Coryphe* matre dicta est Minerua, neque a *vertice Iouis:* qui enim hoc fieri potuerit? sed a *Coryphasio* promontorio. Eorum narratio, qui Mineruam ex Neptuno et Coryphe Oceani filia genitam nobis tradiderunt, quam sit antiqua, et an sit antiqua, incertum relinquimus. Hoc vtique certum est, *Coryphes* nymphæ nomen ex altera fabula, quæ Mineruam ex vertice Iouis progenitam prædicaret, deductum esse et deberi iis, qui mythologiam ad historiam nescio quam reuocare studerent. Mnaseas quidem quale mythologiæ genus venditauerit, etiam aliunde cognoscitur; veluti, vt proxima et simillima arripiam, quæ docemur a scholiasta Apollonii Rhodii ad I. 1129. II. 1054. Dactylos Idæos fuisse Dactyli et Idæ filios, et Stymphalides Stymphali et Ornithis filias. Idem illud studium tertiam quamdam Mineruam siue Athenam peperit, Itoni filiam, Iodamæ siue Iodamiæ sororem: cuius sponsor Simonides genealogus. Vid. Etym. M. in v. Ἰτωνίς, Tzetzes ad Lycoph. v. 355. Saniora et antiquiora Pausanias IX. p. 778. et scholiastes ad Apoll. Rhod. I. 551. Hæc quasi per deuerticulum. Choerilus aptissime coniunxit et sibi opposuit duo ista, *verticem capillis horridum* et *tonsuram orbiculatam:* αὐχμαλέοι κορυφάς, τροχοκουράδες. Quæ tam egregie se inuicem il-

lustrant, vt non potuerit melius describi tondendi illud genus. Iam, puto, apparet, quonam sensu ego accipiendum putem vocabulum αὐχμαλέοι. Quo nihil aliud significauit Choerilus, quam verticem *capillatum*, ratione habita earum capitis partium, quæ non essent capillatæ. Densos autem intellexit capillos, vt dixi, et promissos, et eatenus tantum tonsos, vt ne defluerent supra rasas capitis partes. Vox αὐχμαλέος, quum hoc solo loco obuia sit, quid significet, tantum diuinari potest ex nexu loci, et colligi ex vocabulis cognatis: αὐχμήεις, in hymno Panis Homerico, αὐχμηρός, αὐχμώδης. Quæ omnia quum conueniant in communi notione hac, vt significent id, quod *horridum* est, vt αὐχμεῖν et αὐχμᾶν *horrere*, singulis locis dispiciendum est, quo modo vnaquæque res *horrere* dici possit. Quare vt αὐχμήεις Pan *horridus* est, id est, squallidus puluere et aliis rebus; vt αὐχμηρὰ κόμην apud Lucianum femina est capillis non vnctis et incomtis: ita αὐχμαλέος κορυφὴν is est, cui vertex, præ aliis capitis partibus, horret et densus est capillis. Disputaui hæc maxime contra Salmasium, quem illud ipsum αὐχμαλέοι commouit, pag. 63. vt de cirro in nodum collecto, squallido et impexo, Choerilum cogitasse scripserit. Quod licet peruicacius negare nolim, at nihil tamen ea de re est in Choerili verbis.

Vocem αὐχμαλέοι in Choerili versu temere sollicitauit Lamb. Bosius Animaduers. ad scr. gr. cap. XXVIII. pag. 118. Ipse αὐχαλέοι scribendum censet Hesychii auctoritate. Qui Bosium recte reprehendit, Albertus ad Hesych. v. *Αὐχαλέοι,* fallitur, quod voce αὐχμαλέοι etiam Xenophanem vsum esse scribit apud Athenæum XII. p. 526. B. Imposuit viris doctis Casaubonus. Librorum ibi et priorum ante Casaubonum editionum omnium lectionem αὐχαλέοι restituit, et recte quidem Schweighæuserus.

Notandum etiam vt Choerileum et alibi, quantum adhuc quidem constat, non obuium, τροχοκουράδες. Sic

scribendum putaui ex Eusebio. Iosephi editiones Coloniensis et Hauercampiana: τροχοκούριδες. Quod hinc et Cunæus exhibet de rep. Hebr. l. l. At viri docti plerique, etiam ii, qui ex Iosepho Choerilea desumpserunt, Salmasius pag. 22. p. 50. et p. 63. Bochartus, Grotius ad Leuiticum et ad Lucam, exhibent τροχοκουράδες: siue Eusebium hac in re sequuti, siue ex coniectura; nisi Iosephi quoque editio quædam hoc habeat. Nec Schneiderus in lexico gr. v. τριχοκουράς, et v. τροχοκουράς, aliam formam agnoscit, nisi hanc, quæ est per ας. Quibus ego obtemperandum duxi, non vna de caussa.

Denique quod de Iudæis illis suis prædicat Choerilus:

— αὐτὰρ ὕπερθεν
ἵππων δαρτὰ πρόσωπ᾽ ἐφόρευν ἐσκληκότα καπνῷ,

idem in recensione copiarum Xerxis de Aethiopibus Asiaticis Herodotus VII. 70. οὗτοι δὲ οἱ ἐκ τῆς Ἀσίης Αἰθίοπες τὰ μὲν πλέω κατάπερ Ἰνδοὶ ἐσεσάχατο, προμετωπίδια δὲ ἵππων εἶχον ἐπὶ τῇσι κεφαλῇσι, σύν τε τοῖσι ὠσὶ ἐκδεδαρμένα καὶ τῇ λοφιῇ· καὶ ἀντὶ μὲν λόφου ἡ λοφιὴ κατέχρα· τὰ δὲ ὦτα τῶν ἵππων ὀρθὰ πεπηγότα εἶχον. Δαρτά, pro quo inepte δ᾽ ἀργὰ in Iosephi ms. Eliensi apud Hauercampium, vox non vbique obuia: sed νεόδαρτον Homericum, in Odyssea. Mox πρόσωπ᾽ eiusmodi elisio, nisi sensus me fallit, quæ auribus non valde blandiuntur. Non acsi hoc a Choerilo profectum esse negem: sed scholæ Homericæ poetæ, qui accuratissimi, hanc syllabam fortasse non fuissent elisuri. Accusatiui ὄπα, quod non dissimile est, vltimam syllabam aliquoties elidit Homerus: quae tamen exempla omnia vnius tantum exempli vim habent, quum non fiat hæc elisio nisi ante verbum ἀκούω. Præterea bis eliditur ea syllaba ante verbum ἱεῖσαι. In hymno Dianæ Homerico v. 18. Hermannus scribendum censet: ἄμβροτον ὄσσαν ἱεῖσαι, ex Hesiodo Theog. v. 43. Elegans sane et facilis emendatio. Nisi

restaret Hesiodus Theog. 829. Qui versus quum omnem emendationem respuere videatur, ego vtrobique retinendam putauerim vulgatam lectionem:

ὄπ' ἱεῖσαι.

Non quod ἵημι tum dictum esse putem pro ἵημι: sed hac sola in formula id sibi permiserunt poetæ illi, vt spiritus asperitatem lenirent, inauditam vocis formam, ὄφ', euitaturi. Quæ forma quam monstruosa esset, iam sensit Henricus Stephanus ad Hesiodum. De voce ἐσκληκότα singularia notauerunt Hesychius, alii. Quorum nihil ad Choerilum spectat propius. Cf. si placet, Piersonum ad Moerin pag. 49. seq. Frequentat hoc verbum Nicander. Velut in Theriacis v. 785. 789. Vbi Hermannus coniecturam propositam ad Orph. pag. 804. facile nunc, opinor, postponet nuper diuulgatæ Bentleii emendationi: ἐσκληκόσι. Quam emendationem non modo respuit sensus, sed postulat: nam in vulgata lectione otiatur, vel potius impedimento est verbum ἐσκλήλασι. Quod in Alexiph. v. 464. præbet cod. Riccard. ἐσκληότα, non longe abfui, quin restituerem Choerilo. Cæterum huic perfecto propria est neutralis siue intransitiua, quam vocant, significatio. Inter alios Apollonius Rhodius II. 53.

— ἱμάντας
ὠμούς, ἀζαλέους, πέρι δ' οἵγ' ἔσαν ἐσκληῶτες.

In Epicharmi versum apud Athen. II. p. 60. F. quem tentauit Porsonus Aduers. p. 50. inferri posse putabam Hesychii glossam ἐξεσκληκότες, hac ratione:

— οἷον αἱ μύκαις ἄρ' ἐξεσκληκότες
πνιξεῖσθε.

οἷον αἱ fortasse dixerunt Dorienses pro οἱονεί.

In vulgarem dialectum, ἐφόρουν, Iosephus traduxit id, quod Choerilus reliquerat: ἐφόρευν. Hoc et Barne-

sius dat, vbi hos versus profert, in Euripidis vita cap. XXX. p. 31. not. ed. Lips. Illud cum Iosepho Eusebius dedit. Ego quod hic Choerilo reddam ἐφόρευν, quum ᾤκεον reposuerim in tertio versu, non vereor ne inconstantiæ me accusent harum rerum periti. Homeri enim exemplum, Odyss. XXII. 456.

ξῦον· ταὶ δ' ἐφόρεον δμωαί —

non tantum apud me effecit, vt Choerilo tam duram synæresin placuisse putem. Duram dico, quam Choerili ætate duram visam esse existimem: quæ, quum duæ suppeterent formæ, ἐφόρεον et ἐφόρευν, haud dubie hanc prætulit, vt versui faciliorem. Apud Homerum maior synæreseos libertas, quamquam Odysseæ versus, quem posui, dubitationem admittit. Ἐφόρευν est in Scuto Herculis v. 293. 296. Contra synæreseos exemplum hoc:

ᾤκεον δ' ἐν —

et Homeri tempore et Choerili placuit, et nunc placet. De vocalibus apud Homerum contractis et non contractis lata est disputatio. Hic de imperfectis verborum, quæ exeunt in εω, loquor: de quibus quæ moneri possunt, adhibenda sunt etiam ad alia exempla. Nimirum hac in re qui efficere velit criticus, vt semper sibi similis et constans sit Homerus, et semper vel contractione vtatur, vel non contractione, verendum est ei, ne, dum diligens videri velit, negligentem se præbeat. Multa enim ille negligit, quæ, si probe perpendantur, demonstrant, Homerum hac in re sibi constare nec posse nec potuisse. In quibus primum est diuersa poetarum, quibus Homerica debentur, ætas, diuersus stylus. Deinde numerorum ratio, quæ alia est in vna versus sede, alia in altera; præsertim theseos et arseos discrimen, quod magnum est. Porro ne hoc quidem sine momento esse potuit, quale verbum illud esset, de quo contrahendo

an non contrahendo ageretur: quibus illud litteris constaret; qualis ante vltimam syllabam syllaba antecederet. Veluti pro θέον, ἔθεον profecto nemo scripturus erat θεῦν, vel ἔθευν; pro πνέον nemo πνεῦν. Denique et hoc fortasse respexerunt poetæ, quænam littera esset in capite vocabuli sequentis, vocalisne an consona. Sane in vniuersum non dubitem antiquiorem et probatiorem dicere eam formam, quæ non contracta, in εον. Exemplis vtar.

ᾤκεον δ' ἐν Πλευρῶνι,

Homericum est et omni dubitatione maius. Plane sic Choerilus:

ᾤκεον δ' ἐν Σολύμοις ὄρεσιν.

Eodem modo recentiores poetæ, exempli gratia, qui nunc mihi occurrit, Apollonius IV. 1192. De quo bene ibi monuit Brunkius; modo ne illud addidisset de pronunciatione: nam Apollonius suum θάμβεον non aliter pronunciabat, quam ᾤκεον suum Homerus et Choerilus. Nempe ita, vt vtraque vocalis audiretur, sed fortius et longius littera ο. Eadem, quæ Brunkius ad Apollonium, sed perinde falsa, Heynius præcipit ad Iliad. XI. 282. Contra, quod αὔτευν legitur Il. XII. 160. et γεγώνευν Od. IX. 47. et quod ᾔρευν, αὔτευν in Scuto Herc. 302. 309. non tam inde explicandum, quod recentiores sint hi loci, quam poetarum antiquorum consuetudini tribuendum crediderim, qua vltimam versus syllabam, quam longissimam facere et pondere sonoque quam plenissimam amabant. In Odyss. XIX. 61. et similibus exemplis ne potuit quidem ᾔρευν scribi. Alius generis, quam quæ supra attuli, nec tamen dubium, est ᾤκεον, Il. XX. 218. Add. Od. XXIV. 336. ad quam normam in Il. XVIII. 539. fortasse restituendum est ὡμίλεον, non sine codicibus. Paullo duriora, sed non magis dubia videntur ἠγίνεον Il. XVIII. 493. ἐθρήνεον in Iliadis vltimo v. 722. et ἠρίθμεον in Od. X. 204. Quod est in Iliadis

septimo v. 394. ἠνώγεον, pro eo antiquior poeta daturus fuisset ἤνωγον. Apollonius IV. 176.

— χρύσεον ἐφύπερθεν ἄωτον:

quod aliter efferri non potuit. At in Odyss. IV. 252. non ambigendum est, nisi de eo, vtrum λόεον maluerit poeta, an ἐλόευν. Si cum augmento, vt credimus, maluit, sponte se offerebat ἐλόευν, vix vt cogitare potuisse videatur de altera forma ἐλόεον. Quæ quam difficultatem habitura fuisset ad pronunciandum, ea fortissime sentiri debuerat in hac sede versus. Non omnes pedes eumdem vigorem habent; ac plerumque maiorem habent priores. Neque in Odyss. XXII. 456. vllam caussam exputo, cur ἐφόρεον scribi maluerit poeta, quam ἔφερον, quod est apud Eustathium, aut ἐφόρευν, quod facilius ad pronunciandum, et Scuti auctori placuit. Ac subit dubitatio, an librariis debeatur ἐφόρεον, quibus ante oculos versaretur versus 451. Quam suspicionem confirmant codex Vindobon. LVI. et cod. Harlei. in quibus etiam ἐκφόρεον contra metrum. Nisi hi codices aliam, quæ olim fuerit, lectionem monstrent:

- ξέον· ταὶ δ' ἐκφόρεον δμωαί.

Choerili fragmentum desumptum esse ex eo loco, vbi Persicas copias recensebat poeta, ipse Iosephus affirmauit. Id autem qua occasione fecerit Choerilus, monui ad fragmentum III. Quo hic pertinet verbum, quod posuit Choerilus, διέβαινε. Cur autem hoc fragmentum posteriore loco ponerem, illud de Sacis priore, leues fuerunt caussæ. Potest enim contraria ratione Choerilus priore Iudæos commemorasse, posteriore Sacas. Sed qui Herodoto placuit ordo in recensendis Xerxis copiis, fortasse idem et poetæ placuit: vt primo Persas poneret, principem populum, deinde qui Persiæ a septemtrione et ab oriente populos; vnde transiret ad Arabes et Aethiopes, et hinc adscenderet in anteriorem Asiam. Quem ordinem si sequutus est poeta, Sacæ

occurrerunt ante Iudæos. Quamquam hæc omnia incerta. Quare hoc statim frustra quæratur, quinam illi fuerint, *post quos*, *ὄπιϑεν*, transiisse dicuntur Iudæi. Vnum, quod et aliis de caussis veri simile, et ex Choerili fragmento vtroque demonstretur, hoc est. Choerilus neque in nominibus populorum tam accuratus, quam Herodotus, neque in nominibus vrbium regionumque designandis tam diligens, quam Homerus in catalogo, videtur fuisse. Quid enim attinebat Choerilum, accuratam Asiæ geographiam et barbarorum notitiam plenam exhibere? At si qui barbari miri essent et memorabiles cultu vel situ, vel alia quadam re, eos fortasse paullo longius, quam singulos populos Homerus, descripsit.

Delectationis caussa Iosephi locum subiungam ex antiqua Rufini, vt fertur, interpretatione. Descripsi autem ex latina Iosephi editione Basileensi Frobeniana a. 1534. quæ inscriptionem habet hanc: *Flauii Iosephi — opera quædam Ruffino presbytero interprete.* Vbi hæc leguntur pag. 855.

— *Quod de eis agnoscens et Cyrillus, antiquus poeta, meminit hoc modo de gente nostra dicens: Quia castrametati sunt nostri maiores cum Xerxe Persarum rege apud Hellada: et dinumerans vniuersas gentes, nouissimam nostram posuit, ita dicens: Postremum vero transibant genus mirabile visione, linguam quidem plenissimam ope proferentes. Habitantes autem in solis montibus, vbi palus amplissima est. Iuuenes capillis sub rotunditate detonsis, super equos erectos habentes vultus, et quasi fumo siccatos. Palam ergo est, sicut arbitror, quia nostri meminerit, eo quod et montes in nostra regione sunt constituti, in quibus habitamus, et palus, qui dicitur Asphaltites, id est, bituminalis. Hæc enim inter omnes palus in Syria latior atque maior est. Et Cyril-*

lus quidem cum ita meminerit, Iudæos scisse dignoscitur: quem quilibet cum legerint admirantur, non calumniosi Græcorum, sed sapientia summa conspicui. Clearchus enim —

Cum imperito homine agimus. At quædam tamen insunt tam stupenda, vt librariis potius, quam Rufino, seu quisquis ille fuerit, tribuenda sint. Veluti quod legitur, *plenissimam ope*, manifesto ita corrigendum est: *phenissam ore*. De *solis montibus* dubitari potest, an scribæ debeantur: sed quum paullo post *montes* dicat sine cognomine bonus ille interpres, pæne crediderim, genuinum esse *solis*. Quid enim, si indoctus homo, soni similitudine deceptus, vocabulum σόλυμος respondere putauerit voci latinæ *solus?* Ex proxime sequentibus facile exsculpseris hanc lectionem:

— πλατέη ὅθι λίμνη.

Quod tamen non valde placet. Neque semper pressit verba græca interpres. Pro αὐχμαλέοι Rufinum legisse: ἀκμαλέοι, coniectura est Alberti ad Hesych. v. Αὐχαλέοι. Mox pro δαρτὰ legisse videtur: δ᾽ ἀρτά. Quod quum ab αἴρω deriuaret, vertit *erectos*. Nisi δ᾽ ὀρθὰ legerit. Hæc in mentem mihi reuocant Grotii ad Lucam disputationem, vbi Iudæos *equites* describi his versibus dicit: at nihil inest de *equitibus*.

Istum interpretem intelligebat Gyraldus de poet. hist. dial. III. pag. 107. quum Choerili versuum ex Eusebio et Iosepho mentionem fecit et in latinis Iosephi exemplaribus omnibus animaduertit perperam legi *Cyrillus*. Non insolita aberratio. *Cyrillus* in chronicis Hieronymi duo Palatini, eo loco, quem tractaui, quum sermonem faciebam de Choerilo Tragico.

V.

Scholiastes Apollonii Rhodii ad lib. I. v. 212. vbi de Orithyiæ raptu agit:

Χοιρίλος δὲ ἁρπασθῆναι φησὶν αὐτὴν ἄνθη ἀμέλγουσαν ὑπὸ τὰς τοῦ Κηφισσοῦ πηγάς.

Nimirum in Persicis. Atque haud dubie eodem loco atque eadem occasione Boreæ et Orithyiæ mentionem fecerat Choerilus, qua eam fabulam insertam legimus ab Herodoto VII. 189. Cf. Hermiam scholiastam apud Ruhnkenium ad Timæum pag. 268. et Pausaniam I. pag. 45. Boreæ operam, qua adiuuisset Athenienses, fortasse splendida narratione descripsit Choerilus. Quem poetam cæteroquin parcum fuisse videri in adhibendis diis, alibi significaui.

Locum quod attinet, vnde rapta fuerit Orithyia, a Choerilo dissentit Pausanias. Qui ab Ilissi ripis raptam Orithyiam tradit. Ac sane hæc est narratio vulgaris et frequentatissima, quam confirmare videtur id, quod delubrum ad Ilissum conditum esse scribit Herodotus. Conferatur, quem ibi Valkenarius laudat, Plato in Phædro p. 229. Deinde Meursii, quem Valkenarius voluit, locus, est in libro de Athenis Atticis II. IV. pag. 863. sq. vol. IV. Thes. Gron. Sed bis præterea de Orithyiæ raptu disseruit Meursius, in Græcia Feriata I. II. v. *Βορεασμοί*, pag. 741. sq. vol. VII. Th. Gron. et vbi Choerili quoque meminit, in libro, quem inscripsit Regnum Atticum, II. XIII. p. 142. sq. ed. Amst. 1633. Haud pauca præoccupauerat Natalis Comes in mythologia. Addi potest Heynius ad Apollodorum III. XV. 2. qui in secunda editione etiam Maximum poetam adhibuit. Tot auctoribus, qui ab Ilisso flumine Orithyiam raptam tradunt,

quibus etiam Tzetzes accedit Chil. VIII. v. 255. sqq. pag. 145. Bas. repugnauit Choerilus, si fides Apollonii scholiastis. Quibus cur negetur fides, caussam idoneam non habeo. Nam quod Brunkius ad Apollon. append. pag. 211. Boeotiæ fluuium esse Cephissum animaduertit, non meminerat vir doctus, etiam Atticæ fluuium esse Cephissi nomine. V. Pausan. I. pag. 92. et Strab. IX. pag. 613. B. 650. A. ed. Almel. Nihil eam in rem Ruhnkenius ad Tim. p. 268. vbi de Choerilo mentionem infert. Choerili hoc fragmentum primus, quem sciam, inuestigauit et indicauit Gyraldus, quem sæpius laudaui, pag. 108.

Pausanias pag. 92. vbi de Cephisso Attico loquitur *πρὸς Ἐλευσῖνι* labente, prope ad fluuium narrat locum esse, vbi Pluto, rapta Proserpina, descendisse dicatur. Quod memorabile. Quid enim, si is, a quo primo Choerili testimonium acceperunt nostri Apollonii scholiastæ, Choerili libro non inspecto, pro eo, quem deberet, Ilisso, posuerit *Cephissum*, memoriæ lapsu, Proserpinam cum Orithyia confundentis? Etenim haud dubie iam ante Pausaniam fuerunt, qui Proserpinam prope Cephissum Atticæ raptam narrarent. Certe in Attica raptam qui tradiderint, nouimus. Vid. quem Spanhemius laudat ad Callim. h. Cer. 9. p. 752. scholiastam Sophoclis ad Oed. Col. 1590. sq. et quem Heynius ad Apollod. not. p. 57. schol. Hesiodi. At hæc quum in mera coniectura posita sint, præstat tenere hoc, Choerilum Orithyiæ raptum ad *Cephissum* Atticum retulisse.

Omnino diuersi ab diuersis, vt vel ex Platone liquet, indicabantur loci, vnde rapta fuisset Orithyia. Quod qui cognitum habebat Heynius ad Apollodori locum supra laudatum, tamen in Simonidis apud schol. Apollonii fragmento, pro *βριλισσοῦ* legi iubet *Ἰλισσοῦ*: *in aprico est leg. Ἰλισσοῦ*. Multum abest, vt hoc sit in aprico. Legendum potius: *Βριλησσοῦ*. Qui mons est Atticæ. Meminerunt Strabo IX. p. 612. Alm. ibique a

Casaubono excitati Thucydides Pliniusque. Cf. Callim. fr. CLXXXV. ibique Hemsterh. Ex eo autem, quod scholiastes Apollonii inferius titulum operis Simonidei addit: ἐν τῇ ναυμαχίᾳ, satis certo indicio colligo, eodem loco eademque occasione Orithyiæ mentionem fecisse Simonidem, qua Herodotum, et qua Choerilum fecisse supra monui.

Denique, ne lectionis varietatem in scholiastæ verbis iis, quæ ad Choerilum pertinent, intactam prætermittam: legitur in scholiis vulgatis, quod supra dedi, ἄνθη ἀμέλγουσαν. Reconditus verbi ἀμέλγειν vsus fraudem fecit scholiastæ Parisino, qui pro eo scripsit ἐκλέγουσαν. Si hoc scripsit. Verbum ἀμέλγειν illustrat scholiastes Aristophanis ad Equit. v. 326. et v. 959. Eadem hinc prostant apud Suidam in v. ἀμέλγειν et v. μολγός. Cf. Eustathium apud Kusterum ad Suid. v. ἀμοργοί, et Hesych. in v. μολγός. Quamquam vel sic paullo insolentius dictum est ἀμέλγειν ἄνθη, *decerpere flores.* Abstinet ab hoc verbi vsu poesis altior, cui proprium est ἀμέργειν siue ἀμέργεσθαι. Librarii tamen vbique ἀμέλγειν suum obtrudere solent. Quippe tritius vtique verbum ἀμέλγειν fuit, quam ἀμέργειν. Vid. Apollon. Rhod. I. 882. IV. 1144. Ex poeta desumpta est Hesychii glossa: ἀμεργομένη. Καρπὸν ἀμέρξων: Euripides, quem ibi laudant, in Herc. Fur. 396. Ἀμέργονται recte nunc legitur apud Dionysium Perieg. 293. Etsi Eustathius præferre voluisse videtur ἀμέλγονται: quod etiam Etymologus tenet in v. Ἡλιάδες. Ἄνθεα ἀμέργειν siue ἀμέργεσθαι etiam Sappho dixit. Hoc tenebimus ex Athenæo XII. p. 554. B. καὶ Σαπφώ φησιν ἰδεῖν ἄνθε' ἀμέργουσαν παῖδ' ἄγαν ἀπαλήν. Sapphus verba constituere velle fortasse frustra foret, et possunt non vno modo constitui. Repetit hæc Athenæus ex Clearcho, qui dudum vt dialectum ita alia quædam mutauerit. Potuit et Choerilus ita scribere: ἄνθε' ἀμεργομένη.

VI.

Νῆυς δέ τις ὠκύπορος Σαμίη, συὸς εἶδος ἔχουσα.

Versus, quem ad Choerilum refero certis indiciis, etsi nemo illi diserte tribuat.

Hesychius: Σαμιακὸς τρόπος. — Δίδυμος δὲ, τὰς Σαμίας ναῦς ἰδιαιτέραν παρὰ τὰς ἄλλας ναῦς τὴν κατασκευὴν ἔχειν· εὐρύτεραι μὲν γάρ εἰσι τὰς γαστέρας. τοὺς δὲ ἐμβόλους σεσίμωνται, ὡς δοκεῖν ῥύγχεσιν ὑῶν ὁμοίως κατεσκευάσθαι, οἷον ἰχθυπρώρους εἶναι. διὸ καὶ ἐπὶ ταύτης λέγεται·

Ναῦς δέ τις ὠκύπορος Σαμία, ὑὸς εἶδος ἔχουσα.

Eadem hinc Phauorinus pag. 651. sq. ed. Ven. Photius in lexico: Σαμιακὸν τρόπον, Κρατῖνος Ἀρχιλόχοις· — — ὑσὶ γὰρ ἐμφερεῖς εἶχε τὰς πρώρας τὰ τῶν Σαμίων πλοῖα, ὡς Χοιρίλος ὁ Σάμιος.

Legitur apud Photium: Χοιρίλοχος ὁ Σάμιος. Sed iam Albertus in scriptorum indice *Choerili* nomen restituendum esse vidit. Quæ res extra omnem dubitationem posita est. Eodem errore apud Strabonem lib. XIV. pag. 989. Alm. tom. V. ed. Tzschuck. pag. 694. de quo infra accurate disputabitur, codex apud Tzschuckium Mosquensis: Χειρίλογος. Photio adhibito, versum, qui adhuc sine nomine ferebatur apud Hesychium, pronum mihi fuit, domino suo reddere.

Nolo repetere, quæ de Samiorum naui, *Samæna*, disseruerunt viri docti. Attingere satis habeo ea, quæ pertinent ad lectionem Hesychii Photiique. Ac primum in Hesychii loco, quum fortasse excusari possit, quod vulgo legitur: σεσήμανται, ego malui exhibere: σεσίμωνται, elegantem emendationem, quam Schneiderus

proposuit in lexico græco v. ὑπόπρωρος. Σεσήμανται etiam Phauorinus. Præterea nihil mutandum. Quum illam proræ formam cum rostris suum comparasset Hesychius, rem etiam alia comparatione illustraturus, addit: οἷον ἰχθυπρώρους εἶναι. Aptissime: nam pisces rostrum habent suillo simile. At in Plutarchi Pericle p. 166. D. vtique legendum: ὑόπρωρος μὲν τὸ σίμωμα. Vidit hoc Schneiderus l. l. vbi contra mentem viri doctissimi seruata est, operarum errato, vetus lectio ὑπόπρωρος; vidit et auctor dissertationis de tutelis et insignibus nauium, quæ est in Ruhnkenii Opusculis, Lugd. Bat. 1807. pag. 280.

Photii verba ita scripta protulit ex codice Hermannus: Σ. τρόπον, Κρατῖνος Ἀρχιλόχῳ· εἰς συαμίαν ἐπισκώπτων μιννύω ναυσὶ γὰρ ἐμφερεῖς etc. Apographum Dresdanum: Ἀρχιλόχης εἰσυαμίαν. Albertus ad Hesychium hæc tantum protulerat, negligentius excerpta: Σ. τ. Κρατῖνος Ἀρχιλόχοις, εἰσυμίαν ἐπισκώπτων; pro εἰσυμίαν legendum esse εἰς Σαμίαν. Quod non satisfacit. Quænam enim est *Samia* illa? Nisi credideris nomen proprium latere in μιννύω. Hoc vtique persuasum habeo, nihil in his esse Cratini, præter verba Σαμιακὸν τρόπον. Cratinus, quod colligo ex Hesychio Photioque, de re quadam obtusa loquens, eam dixerat obtusam esse *Samio more*. In voce μιννύω, vel μιννύωνα, ego latere suspicabar vocabulum ὑῶν. Sed certiore aliquanto coniectura ex codicis lectione εἰς συαμίαν, vel εἰσυαμίαν, exsculpsi, εἰς ὗν σαμίαν. Postrema clarissima sunt. Hoc enim certum est, in vocabulo ναυσὶ latere, quod exhibui, ὑσί. Simillima ratione coaluerunt σάμια et ὑσίν apud Photium in v. Σάμαιναι.

Vnum de Samiorum naui, idque antiquissimum et Choerilo proximum, testimonium apponendum est, Herodoti lib. VIII. 59. τῶν νηῶν καπρίους ἐχουσέων τὰς πρώρας ἠκρωτηρίασαν. Quæ peruerse cepit Wesselingius. Eodem errore inductus auctor dissertationis eius, quam

supra laudaui, ad caput illud de insignibus nauium retulit et Herodoti et aliorum scriptorum de Samiorum naui locos. Nimirum opinabatur ille, huic nauium generi suis caput vel anteriorem partem in prora appositum fuisse, tamquam insigne siue parasemon, vt aliorum animalium capita et figuras aliis nauibus appositas esse scimus: ornamenti caussa, vel vt haberent, quo distinguerentur. Verum hoc vetant et Choerili versus, et Herodotus, qui proras aprum insigne habentes, numquam *καπρίους* dicturus fuisset; vetat, ne alios in partes vocem, luculenta Hesychii, quam apposui, descriptio. Contra quos leue est Eustathii patrocinium, qui vnus auctori dissertationis fauet. Samiorum illæ naues non apri insigne in prora, sed ipsius proræ extremitatem obtusam habuerunt et reflexam, vt est suis rostrum; quæ proræ forma, cum alueo nauis lato et curvato, efficiebat, vt tota nauis suis quamdam similitudinem præ se ferret. Hoc est, quod dicit Choerilus,

συὸς εἶδος ἔχουσα.

Versum laudant ex Hesychio, sed de suo nihil admonent, Salmasius in Plin. exercit. pag. 403. C. Pantinus ad Mich. Apostolium cent. XVII. 25. pag. 348. dissertationis de tutelis et ins. n. auctor pag. 279. Et est in Scaligeri libello eo, qui inscribitur *Στρωματεὺς παροιμιῶν ἐμμέτρων*, et in Erasmi adagiis pag. 1638. ed. Wechel. 1599. in prouerbio *Samii litterati*. *Σαμίη* scribendum esse vidit Albertus. Præterea *νηὸς* scribendum erat et *συός*. Hoc quidem, quoniam magis poeticum et magis Homericum, et quoniam ad græcas aures suauius accidebat *συός* quam *ὑός*, præcedente littera vocali. Quamquam hoc leuius: vid. fragm. IV. vs. 3. Neque obstat, quod eo augetur huius versus sigmatismus. Sed cur magis Homericum dixerim *συός*, caussa reddenda est. In Odyssea vtraque forma occurrit: *ὑῶν* et *συῶν*, *ὕεσσι* et *σύεσσι*. Genitiuus singularis rarius obuius, sed

vtraque forma: atque ὑὸς quidem, nisi fallor, in hoc tantum hemistichio: ἀργιόδοντος ὑός. Ita vt, quantum ad Odysseam pertineat, credere liceat, nullam poetis, præter metri conditionem, fuisse legem. Verum in Iliade longe longeque præpotens est hæc forma, συός et reliqua. Nescio enim, an nusquam sit alterius formæ exemplum, præter hæc duo: ἀργιόδοντος ὑός, et ἀργιόδοντες ὕες, lib. X. 264. et XXIII. 32. Cæterum eiusmodi exempla, quæ Choerilo prorsus sint gemina, frustra circumspectes apud Homerum. Vnum est in Il. VIII. 338. Ita genitiuum illum ponere solet Homerus, vt vltimam in arsi habeat.

Si de sede huius fragmenti, et quonam illud Persicorum loco fuerit, nam ex Persicis est, sermo inferatur, rationem comminisci poterimus non vnam. Fortasse locum suum habuit versus in descriptione pugnæ Salaminiæ. Verum huic etsi interfuisse videntur Samiæ naues, nullum tamen vsquam, quod sciam, earum facinus, quale indicat Choerilus, commemoratur. Versus talis est, vt sponte aliquis suspicetur, Choerilum de re quadam graui et magni momenti loquutum esse, quæ per nauem illam effecta fuisset. Vnum memini, quod huc trahi possit. Quum Herodotus VIII. 79. sqq. Græcos de circumuenta a Persis classe certiores factos esse narret per Aristidem et per triremem Teniam, Diodorus hoc officium viro Samio tribuit, XI. XVII. Neque incredibile est, Choerilum Samium vel hoc vel aliud quoddam in Salaminia pugna facinus ciuibus suis vindicasse. At quum hæc prorsus incerta sint, et quum Diodorus de viro tantum Samio, natatore, non de naui Samia loquatur, malim de eo tempore et de iis rebus cogitare, in quibus Samiorum partes fuisse constat. Id vero fuit, Herodoto et Diodoro testibus, circa pugnam Mycalensem. Quam attigisse videtur, vt alibi monitum est, Choerilus. Ac nescio an aptior nostro fragmento sedes inueniri non possit, quam in ea narratione,

quæ est apud Herodotum IX. 90. et apud Diodorum XI. XXXIV. Vbi Samiorum legatos in Delum insulam venisse narratur, Græcorum pro Ionia auxilium imploraturos. Hanc igitur fortasse narrationem ita exorsus est Choerilus:

Νῆυς δέ τις ὠκύπορος Σαμίη, συὸς εἶδος ἔχουσα.

Et, quod præterea coniici licet, hoc fortasse fuit libri Persicorum vltimi initium. Non vendito hæc pro certis. Res eiusmodi est, vt, quid esse potuerit, demonstrasse sufficiat; quid fuerit, demonstrari non possit.

VII.

Ὅρκον δ᾽ οὔτ᾽ ἄδικον χρεὼν ἔμμεναι, οὔτε δίκαιον.

Hoc versu sermonem XXVII. qui est de iureiurando, exorditur Stobæus. In Gesnerianis præfixum: *Choerili in Perseide.* Schowius edidit: *Χοιρίλου Περσηΐδος·*

Ὅρκον δ᾽ —

Nescio an non ex codicibus. Trincauelliana certe simpliciter habet: *Χοιρίλου.* sine additamento isto. Decernant, quibus Stobæi codices inspicere licet.

Interea suspensum relinquemus, vtrum ad Persica referendum sit hoc fragmentum, an ad aliud quoddam carmen. Quæ dubitatio ne tum quidem prorsus sublata erit, si constiterit, ad Persica illud retulisse Stobæum. Sane versus est magniloquentia epica dignissimus. Persam loquentem audire tibi videaris, vel poetam de Persis. Quos veritatis fuisse studiosissimos, testatur, vt vnum aduocem, Herodotus I. 138. Cui addas, si placet, Nicolaum Damasc. apud Stobæum serm. XLII. pag. 293. med. Alioquin, si liberum sit iudicium, nescio an non tam epicum carmen deceat hic versus, quam ethicum vel philosophicum. Eiusmodi autem carmen scripsisse Choerilum, vel fuisse, qui a Choerilo scriptum esse opinarentur, probabile fiet, qui comparauerit fragm. IX. et X.

Rarum est in poesi antiquissima vocabulum *χρεών.* Et Choerilus fortasse inter primos, qui inferrent, fuit. Qui alii vsurpauerint, vide apud Stephanum in thesauro t. IV. p. 581. sq. Eustathii, quem laudat Stephanus, in

Herodoteum locum obseruatio est ad Iliadis librum II. p. 166. 8. Rom. Ab Homero illud alienum est. In Odysseæ libro XV. v. 201. quod refragante Homeri vsu et refragantibus antiquis libris, casu magis quam consilio, propagatum fuerat, χρειών, bene euanuit ex nouissima editione. Ibi χρεὼ præbent inter alios codex Vindob. V. et Harleianus cum Eustathio. Iterum in Odyss. I. 225. χρεών exhibent libri Athenæi, vt videtur, omnes VIII. p. 362. D. Homeri codices, quod sciam, omnes: χρεώ. Nimirum Athenæi æuo longe tritius fuit χρεών quam χρεώ. Ne autem aliquis eo deferatur, vt etiam in versu Choerili χρεώ restituendum opinetur, tenendum est, Homericum vsum hoc postulare, vt vnam syllabam faciat vocabulum χρεώ. Eam legem quum constanter seruauerit Homerus, mirum non est, quod illam syllabam corripere non dubitauerit ante vocalem, Iliad. XI. 606. Vbi non erat, cur tam desperata moliretur Heynius, qui non offendit in hoc versu: δενδρέῳ ἐφεζόμενοι. Quamquam fatendum est, paullo facilius et lenius hoc esse, quam: τί δέ σε χρεὼ ἐμεῖο. Itaque Homericam legem migrare non ausus est Choerilus. Alii vtrum ausi sint, nec ne, non expedita est quæstio. Apud Apollonium Rhodium II. 167. non dubitarem reponere, ad Choerili exemplum:

— ὅσσην χρεὼν ἦεν ἄγεσθαι.

Nisi bis alibi idem Apollonius vocabulum χρεώ eodem modo ponere videretur in versu. Nempe ita, vt bisyllabum sit et vltimam corripiat ante vocalem: contra Homeri vsum. Semel lib. II. v. 817. quem locum indicauit Stephanus in thesauro t. IV. p. 613.

— ἐπεὶ χρεὼ ἦγε δαμῆναι.

Alter locus est IV. 1164.

— τότ᾽ αὖ χρεὼ ἦγε μιγῆναι.

Quibus locis quo minus χρεών restituamus, hoc impedit, quod nescio an apud epicum poetam χρεών non possit significare *fatalem necessitatem*. Igitur Apollonius for-

tasse hoc sibi permisit, vt χρεώ bisyllabum faceret. Eadem ratione, quum Choerilus χρεών vna syllaba extulisset, idque sapientissime: alii bisyllabum facere non dubitarunt. Is, qui aureum, quod dicitur, carmen scripsit, v. 30. 31.

— ἀλλὰ διδάσκεν,
ὅσσα χρεών.

Item Theognis v. 575. 6. Brunk.

— παρέζεσθαι δὲ παρ' ἐσθλὸν
ἄνδρα χρεών.

Poetæ elegiaco fortasse lenius videbatur, talem correptionem admittere, quam χρεών monosyllabum facere. Qui deinde hoc vocabulum frequentarunt, poetæ attici, partim et plerumque, nisi fallor, per duas syllabas efferunt, partim contrahunt attico more. Numerorum elegantiam non nimis curauit Pythia. Quæ nunc antiquo more, quem perpetuo illa seruare debuerat, χρεών habet vna syllaba, nunc duabus syllabis cum correptione. Oraculum apud Pausaniam IV. p. 310. et p. 342.

ἔρδ' ὅππῃ τὸ χρεών.

Aliud apud eumdem pag. 309.

πρὶν τὰ παρ' ἄλλα φύσις δόξαν χρεὼν εἰσαφίκηται.

Nisi quis malit: αὖτις ἵκηται, ex cap. XIII. p. 311. vbi Pausanias: ἐς τὸ χρεὼν αὖθις ἐλθόντας. Τὰ παρ' ἄλλα, vel τὰ πάραλλα aduerbium est, vt τὰ πρῶτα. Quum χρεών rarum esse in poesi antiquissima dicebam, altiorem poesin intellexi. Multum ea voce delectati fuerunt poetæ philosophi, si ex Parmenide iudicium facere volumus. In cuius versibus, quos collegit Fullebornius, quater occurrit χρεών: v. 41. 65. 99. 108. semper antiquo more positum ita, vt vnam syllabam faciat. Id quod forte fortuna magis factum est, et propter fortuitam versus commoditatem, quam consilio: nam vs. 28. idem Parmenides χρεώ fecit bisyllabum cum correptione.

VIII.

— χερσὶν
ὄλβον ἔχω κύλικος τρύφος ἀμφὶς ἐαγός,
ἀνδρῶν δαιτυμόνων ναυάγιον, οἷά τε πολλὰ
πνεῦμα Διωνύσοιο πρὸς Ὕβριος ἔκβαλεν ἀκτάς.

Athenæus XI. pag. 464. A. Παραιτητέον δ' ἡμῖν τὰ κεράμεα ποτήρια. καὶ γὰρ Κτησίας παρὰ Πέρσαις, φησίν, ὃν ἂν βασιλεὺς ἀτιμάσῃ, κεραμέοις χρῆται. Χοιρίλος δὲ ὁ ἐποποιὸς φησίν·

χερσὶν etc.

Dedi abrupta versuum membra, vt exhibuit Casaubonus. Quod et tutissimum, et mea quidem sententia vero proximum. Facile fuerat, tres versus integros efficere. Idque certatim tentarunt viri docti. Valkenarius ad Herodoti VIII. 12. pag. 624. vlcus, quod dicit, primi versus, sic persanari putabat, si legeretur:

χερσὶν ἔχων κολοβοῦ κύλικος τρύφος·

Eumdem Athenæum VI. p. 230. F. scribere: πίνειν ἐκ κεραμέων κολοβῶν. Toupius ad Theocritum pag. 332.

χερσὶν ἄνολβον ἔχω κύλικος τρύφος —

Quod interpretatur *frustum inutile*, laudato scholiasta Sophoclis ad Antig. 1265. Ἄνολβα, ἀνωφέλητα. Toupium sequutus est Schweighæuserus. Denique Iacobsius in Additam. animaduers. in Athenæum pag. 247. hanc coniecturam proposuit:

χερσὶν ἴδ' ὄλμον ἔχω.

quod inferiorem partem poculi fracti significare vi-

detur. Laudat Valkenarium ad Ammon. pag. 183. et Athenæum lib. XI. p. 494. B. Nescio, an horum nihil satisfaciat iudici seuero. Valkenarii coniectura iusto audacior; præterea κολοβοῦ abundat. Toupius validiorem circumspicere debebat testem. Nam primo falsum est, quod dicit scholiastes ille, ἄνολβα Sophocli esse ἀνωφέλητα; deinde, etiamsi hoc verum esset, multum tamen interest inter ἄνολβα βουλεύματα et ἄνολβον κύλικος τρύφος. Iacobsius autem quæ attulit, non efficiunt, vt ὄλμον putem id significare posse, quod ille voluit. Accedit, quod vox ὄλβον hoc verborum nexu tam elegans est et tam poetica, vt suspicione exemta esse videatur. Hanc vero si retinemus, vt retinenda est, peritior quisque nomen excidisse intelliget, quod eius epitheton esset. Tale igitur in versus initio excidisse existimo. Nisi Choerilus dedit:

— χερσὶν
ὄλβον ἄνολβον ἔχω, κύλικος τρύφος ἀμφὶς ἐαγός.

Quod placebit, quicumque lyricum huius fragmenti colorem reputauerit. Atque sic clarissimum, qua ratione poetæ verba a librariis mutilata fuerint. Ὄλβος ἄνολβος est, qui desiit esse ὄλβος, qui iam non est ὄλβος. Familiaris Græcis elegantia. Quam imitantur Romani. Catullus:

Funera — nec funera.

Ἄνολβον, *infelix*, Empedocles dixit ap. Clementem Alex. Strom. III. p. 432. B. vs. 352. ed. Sturz. Si vere conieci:

— ὢ δὶς ἄνολβον.

Necdum poenituit coniecturæ. Etsi fatendum est, δυςάνολβον rarissimum vocabulum non indignum videri Empedocle: cui ego nullum nunc memini quod respondeat, præter Homericum δυσάμμορος. Apud Choerilum moneo, ante χερσὶν fortasse fuisse μετὰ vel etiam ἐνί, præcedente epitheto aliquo. Dictio Homerica est: κισ-

σύβιον μετὰ χερσὶν ἔχων. Certe præcessisse videtur aliquid, quod cum χερσὶν cohæreret. Hoc autem omisit, brevitati studens, Athenæus: χερσὶν retinuit, vt necessarium ad sensum loci.

Qui hos versus protulit de sat. Horat. pag. 268. Dan. Heinsius, in vltimo versu tacite admisit coniecturam quamdam suam, sed eam commemorandam:

— πρὸς Ὕβρεος ἔκβαλ' ἀνάσσης.

Quam inde recepit, non dubitanter, Sam. Petitus Obs. pag. 168. Quanto melius et omnino egregium, quod exhibui. Debetur id Guilelmo Cantero Nou. Lect. IV. V. p. 596. tom. III. Thes. crit. Gruter. In codicibus est: ἔκβαλ' ἄνακτος.

In qua emendatione hoc maxime laudandum est, quod sermonem poetæ allegoricum bene perspexerit Canterus. Quod etiam Casaubonus tangit. Conferendi sunt de hac allegoria, quam audacissime, sed feliciter ad finem perduxit Choerilus, Valkenarius ad Herodotum l. l. qui vocis ναυάγιον vsum illustrat, et quem ille laudat, Bern. Martinus Var. Lect. lib. III. cap. II. pag. 132. sqq. edit. alt. qui præter Choerili fragmentum apte apposuit Dionysii cognomine Aenei locum ex Athen. X. p. 443. D. Sed in caussis et seminibus metaphoræ exquirendis fluctuat et fallitur Martinus, dum nimis subtilem se præbet. Res ita se habet. Merum large profusum prouocabat imaginem maris. Hinc compotores remiges siue nautæ, pocula naues siue cymbæ dicebantur. Apparet, in his metaphoram esse peruersam: sed in eo non argutandum. Opportune autem Martinus illum commemorat veterum vsum, quo poculorum generibus nomina a re nauali impertiuerint. At longius progressus Choerilus quædam habet singularia et vix apud alios obuia. In his primum est ναυάγιον. Quod comparat ex Clementis Pædagogo lib. II. Valkenarius, non accurate respondet: nam ibi τὰ τῆς μέθης ναυάγια

significant mentis humanæ in ebrietate perturbationem et solutionem. Itaque *τὰ ναυάγια* dixit Clemens pro eo, quod ex obseruatione grammaticorum rectius dixisset *ναυαγίαν*. Omnino Clemens metaphoram illam a re navali ductam aliter quam veteres Græci et pro suo more flexit atque tractauit: cf. eumdem paullo inferius pag. 155. sq. ed. Colon. Choerilus ipsa poculorum ab ebriis conuiuis disiectorum fragmenta appellat *ναυάγια*. Audacter, vt tragicum poetam decet, sed minus audacter, quam Choerilus, *ναυάγια* dixit Sophocles in Electra v. 730. 1444. Verum nescio, an quid vspiam inueniatur, quod melius respondeat Choerilo, quam Aeschyli versus apud Athenæum l. p. 17. D. satyricæ poeseos lepore plenissimi. In quorum primo coniiciebam supplendum esse *οὗτος*. *Ἐκεῖνος* Iacobsius in Addit. anim. p. 11. Qui ex Plutarcho de curios. p. 517. F. comparauit *ναυάγια οἴκων*. Idem Valkenarium ad Ammonium laudat: quem librum nunc non habeo. Choerili et Sophoclis Aeschylique audacia quum metaphoram magis quam significationem vocis *ναυάγιον* spectet, non alienum est, recordari aliud insolentiæ genus, quod in significatione et etymologia vocis illius sibi permisit Euphorio. Hic *ναυαγόν* dixit *nauis ductorem*, teste Helladio in Photii Bibliotheca p. 1588. De illo autem sollemni vocis *ναυάγιον* vsu, quo sic appellantur ipsæ nauium fractarum tabulæ, plura cumulari possent. Vnum sufficiat comparasse Plutarchum, qui Salaminiam victoriam mille nauium fragmentis, tamquam currui seu sellæ, insidentem proponit, de gloria Athen. pag. 549. D. Allegorico sensu iterum eamdem vocem posuit Plutarchus in Phocionis initio. Deinde apud Choerilum notabile est: *πνεῦμα Διωνύσοιο*. Denique hoc, quod longe audacissime dictum est: *ὕβριος ἀκτάς*. Tamen hæc omnia egregie concinunt. Modico vini vsui, *ὀλίγῳ οἴνῳ*, Clemens opponit *τοὺς ὕβρεως κρατῆρας*, eo loco, quem tetigi, p. 152. D. Colon. Qui sint *ὕβρεως κρατῆρες*, quum

alii docent apud Athenæum lib. II. p. 36. tum elegantissimis versibus Panyasis apud Schweighæuserum vol. I. pag. 138. 139. vbi quasi dea quædam Ὕβρις fingitur. Vt apud Choerilum quoque scripsi Ὕβριος, littera longa. Quod autem ad insolentiam metaphoræ Choerileæ vel ex longinquo accedat, non habeo præter Empedoclis versum apud Simplicium in Aristot. Phys. lib. VIII. fol. 258. a.

πλάζεται ἄνδιχ᾽ ἕκαστα περὶ ῥηγμῖνι βίοιο.

Versus est 224. ex Sturzii collectione. Sunt in his Empedoclis versibus et alia non vbiuis obuia: *ὑδρομελάθροις*, et quod audacissimum, *πτεροβάμοσι κύμβαις*, de quo cf. Hesych. Modestius Empedocles loquitur v. 77. ed. Sturz. vbi similiter arbores, feræ, aues, pisces componuntur. Quod autem v. 226. legitur, *ὀρειμελέεσσιν*, id ego cum Schneidero in lexico græco scribendum putem: *ὀρειλεχέεσσιν*. Præsertim quum hoc etiam alibi dixerit Empedocles, v. 227. Vbi suppetebat rite formatum epitheton et poetarum vsu sancitum, non formaturus erat nouum, simile sonans, sed ad compositionem inauditum.

Martinus pag. 133. huius, quod tractauimus, fragmenti auctorem laudat Choerilum, *qui licet malus et ineptus versificator ab Horatio, et aliis quibusdam habeatur; boni illius tamen et cedro non indigni versus nonnulli ad nos peruenerunt, ex quorum numero sunt hi apud Athenæum.* Videtur Martinum induxisse Scaligeri de Choerilo error. Commemorat hos versus etiam Torrentius ad Hor. Epist. II. I. 233. Qui quod parum honorifice sensisse videtur de eorum auctore, errauit. Vid. quæ disserui de edacitate Choerili. Merito illos collaudat Heinsius. Et Valkenarius ad Herodotum: *neutiquam absurdi sunt,* inquit, *Choerili versus.* Choerili Samii fragmentum esse ostendit ipsa versuum elegantia. Nec dubitare sinit, quod Athenæus diserte no-

minat τὸν ἐποποιόν. Porro quæritur, vtrum ex Persicis hæc desumta sint nec ne. Quod si quis affirmare velit, multum ei fauent, quæ ex Ctesia præmittit Athenæus. Ac statuas, Persam aliquem loqui, cuius indolem feruidiorem ipso sermone exprimere poeta voluerit. A figurata oratione non abstinuisse Choerilum, admonuit lectorem, quod primo loco ex Persicorum exordio dedimus, fragmentum. Et fatendum est, horum quoque versuum, quos seruauit Athenæus, insolentiam non in ipsis verbis, quæ Antimachi insolentia, sed in sensu verborum allegorico positam esse. At vel sic Choerilea ista longe longeque excedunt epicum modum. Vt nondum mihi persuaserim, talia in Persicis scribere potuisse Choerilum. Vidimus autem, antiquitatem etiam *alia quædam poemata* tribuisse Choerilo.

Cæterum, quicquid de sede fragmenti aliquis iudicauerit, sciens retinui codicum lectionem, ἔχω. Pro quo Heinsius et Valkenarius tacite, ἔχων. Sermo horum versuum magis eum, quem poeta loquentem introduxerit, quam poetam narrantem, decet.

IX.

Πέτρην κοιλαίνει ῥανὶς ὕδατος ἐνδελεχείῃ.

Versus sub Choerili nomine notissimus, et quo multi passim viri docti vsi sunt. Inter hos tamen non vnus, vnde innotuerit ille, ignorasse videtur. Vnus ab altero petiit, de fonte securus. Critici antiquiores testimonia veterum scriptorum obiter indicare solent. Sic versum illum, fonte non indicato, sed Choerili nomine, apposuerant Muretus in Var. Lect. XII. XIV. Lambinus ad Lucret. I. 314. IV. 1281. Idem ad Horat. Epist. II. I. 233. Ego primum fontis indicem habui Casp. Hofmannum Var. Lectionum, quæ Lipsiæ prodierunt a. 1619. lib. I. cap. XX. pag. 36. sq. Simplicium quidem iam monstrauerat P. Victorius in Var. Lect. VII. XV. Sed Galeni locum primus, puto, adiecit Hofmannus. Eum dico locum, qui est in libro de locis affectis. Alterum inuenit et apposuit Erasmus in adagiis. Apponam vtrumque. Itaque Galenus de temperamentis lib. III. cap. IV. pag. 84. C. tom. III. ed. Charter. *οὐδὲ γὰρ ὁ τμητικώτατος σίδηρος, εἰ τὸν μαλακώτατον τέμνει κηρὸν δι᾽ ὅλης ἡμέρας καὶ νυκτός, ἀδύνατον αὐτῷ μὴ οὐκ ἀμβλὺν γενέσθαι σαφῶς. οὕτω δή που κἀκεῖνο καλῶς εἰρῆσθαι δοκεῖ,*

Πέτρην κοιλαίνει ῥανὶς ὕδατος ἐνδελεχείῃ.

καὶ γὰρ καὶ φαίνεται γιγνόμενον οὕτως — Editio Basileensis a. 1538. vbi hæc leguntur in parte I. pag. 84. init. habet *πέτραν*. In reliquis consentit cum Charterio. Deinde Galenus de locis affectis lib. I. cap. II. pag. 387. A. tom. VII. Chart. vel p. III. pag. 252. 47. Basil. *ὅτι δὲ ἐγχωρεῖ*

τινα παθήματα περὶ τοῖς σώμασιν εἶναι, διὰ σμικρότητα μηδέ πω φαινόμενα, τεκμήριον καὶ ἡ κοιλαίνουσα τὴν πέτραν ἐν χρόνῳ πλείονι ῥανίς, ἐφ' ᾗ καὶ τοῦτο τὸ ἔπος ὀρθῶς εἰρῆσθαι πιστεύεται,

Πέτρην κοιλαίνει ῥανὶς ὕδατος ἐνδελεχείῃ.

Basileensis ibi: ἐνδελεχίῃ. sed πέτρην, vt Charterius. Nomen Choerili habet Simplicius in Aristot. Phys. comm. lib. VIII. fol. 276. b. init. τὸ γὰρ λέγειν φησὶν ὅτι κινεῖται μὲν ἀεὶ πάντα, λανθάνει δὲ ἡμᾶς τῷ κατ' ὀλίγον, ὅμοιόν ἐστιν ἐκείνῳ τῷ λόγῳ, τῷ περὶ τοῦ, τὸν συνεχῆ τοῦ ὕδατος σταλαγμὸν κοιλαίνειν τὴν πέτραν. Πέτρην κοιλαίνει ῥανὶς ὕδατος ἐνδελεχείῃ, φησὶν ὁ χοιρίλος. Repetit deinde versum eadem pag. in decursu disputationis.

Hi igitur testes nobis sufficiunt. Licet non negaverim, versum etiam alibi latere. Fuit enim notissimus. Exhibet illum in adagiis Erasmus, pag. 192. ed. Wechel. et ex Simplicio Iunius ibidem p. 195. Exstat idem in stromateo prouerbialium versuum, quem Scaliger contexuit et repetiit Andreas Schottus in adagiis Græcorum pag. 584. vs. 110.

Versus, quod vel ex Galeno apparet, celebratissimus et prouerbialis. Quem non dubito quin respexerit Aristoteles ipse eo loco, ad quem Simplicii ista est disputatio, Phys. VIII. cap. III. et Plutarchus, quem laudant, de liberis educandis non procul ab init. Respexerunt Lucretius et ex Romanis alii, quos videre potes apud viros doctos eos, quos laudaui. Ex Græcis addo Bionem fragm. XI.

Ἐκ θαμινῆς ῥαθάμιγγος, ὅκως λόγος, αἰὲν ἰοίσας,
χἀ λίθος ἐς ῥωγμὸν κοιλαίνεται.

Non pauca in hanc sententiam dicta sunt veteribus. Quæ videre est in Stobæi sermone, qui περὶ φιλοπονίας inscribitur, vnde Bionis versus deprompsi, mox Menandrum laudaturus sum, et apud eos, qui monosticha sententiosa collegerunt. Veluti hoc Euripidis ex Archelao:

τὸ συνεχὲς ἔργον παντὸς εὑρίσκει τέλος.

Quæ facile augeri possunt. Ex Diogeniano hoc habet Erasmus:

πολλαῖσι πληγαῖς δρῦς στερὰ δαμάζεται.

Mich. Apostolius Paroemiarum cent. XVII. 9. pag. 208. prouerbium exhibet, immutatis Choerili verbis, tale: *Ῥανὶς ἐνδελεχοῦσα κοιλαίνει πέτραν.* Quo qui vsi sint, a Pantino pag. 346. laudantur Gregorius Nazianzenus, Isidorus Pelusiota, Zonaras. Non eodem illi omnes modo. Ad priscam et genuinam formam respexit Zonaras Annal. T. I. pag. 2. ed. Bas. Qui hæc habet: *Εἰ γὰρ κοιλαίνειν τὸ τῆς πέτρας σκληρὸν καὶ ἀπόκροτον ῥανίδος ἐνδελέχεια δύναται, μᾶλλον ἂν δυνήσεται λόγος ἐνδελεχὴς τὰ ὦτα θυροκοπῶν* etc. Gregorius orat. XIX. pag. 293. C. ed. Colon. ita: *ἔμελλε δ' ἄρα κοιλαίνειν τὴν πέτραν ἡ τοῦ ὕδατος ῥανὶς ἀεὶ πλήττουσα, καὶ χρόνῳ διανύσειν τὸ σπουδαζόμενον.* Vbi Billius p. 712. T. II. versum græcum esse dicit, hunc:

κοιλαίνει πέτραν ῥανὶς ὕδατος ἐνδελεχείῃ.

Isidorus epist. lib. II. CLXXXIV. p. 223. ed. Commelin. ita: *βούλομαι δὲ καὶ πάντας πεισθῆναι τοὺς λέγοντας· λίθους ἐλέαναν ὕδατα· καὶ, κοιλαίνει πέτραν ῥανὶς ὕδατος ἐνδελεχοῦσα.* Quod deinde explicat: *ἀλλ' ὅμως ἡ συνέχεια καὶ τὴν φύσιν νικᾷ.* Illud, *λίθους ἐλέαναν ὕδατα*, est ex Iobo XIV. 19. obseruante Rittershusio ad Isidorum. Deinde in sequentia hæc animaduertit Rittershusius: *Versus est Choerili, teste Simplicio, qui tamen legit ἐνδελεχείῃ.* et hoc: *Sic vetus est senarius eiusdem sententiæ, quem in vita Gregorii Nazianz. Gregorius Presb. refert.* Legitur ea vita in operibus Gregorii Nazianzeni, in fine voluminis primi edit. Colon. Ibi Gregorius presbyter asseclarum Apollinarii Syri calumniam in Gregorium vim habuisse aliquam apud vulgus scribit: *ἀεὶ οὖν τῷ δήμῳ προσκαθεζομένων τῶν φοιτητῶν Ἀπολιναρίου, καὶ ταῦτα τοῦ ὁσίου κατηγορούντων, ἴσχυσεν ἡ ἐπήρεια· ῥανὶς γὰρ ἐνδελεχοῦσα κοιλαίνει πέτραν. καὶ ἐπειδὴ τὰ τοιαῦτα τῆς τῶν πολλῶν ἀκοῆς ὑψηλότερα* etc. Senarius hic est:

ῥανὶς γὰρ ἐνδελεχοῦσα κοιλαίνει πέτραν,

veterem non dixerim. At certe antiquior est Apostolio et Isidoro. Qui quod habent, ἐνδελεχοῦσα, ex hoc primum versu fluxit. Apostolio quidem vna tantum syllaba deest ad senarium. Prouerbium ita scriptum: ῥανὶς ἐνδελεχοῦσα κοιλαίνει πέτραν, etiam Erasmus in adagiis habet, ab Apostolio acceptum. Schneiderus in lexico hunc versum tamquam Choerili posuit:

πέτραν κοιλαίνει ῥανὶς ὕδατος ἐνδελεχοῦσα.

Et sic tantum non prorsus Isidorus, vt vidimus. At genuinam Choerili scripturam reducere debuerat Schneiderus. Idem prouerbium haud dubie respicit Hesychius: Ῥανίς· σταλαγμός. Quæ glossa eadem est apud Phauorinum. Ex his, quæ proposui, omnibus sequitur, vt versus ille antiquus non Choerilo malo poetæ, vt volebat cum aliis Iunius, sed nostro Choerilo tribuatur, Samio. Credimus enim, quod testatur Simplicius, Choerili versum esse. Qua occasione illum inseruerit Choerilus, quis nunc dicat? Ex Persicis non est. Fuerit, qui Choerilum poematia quædam de philosophicis rebus siue physicis scripsisse coniiciat, ex hoc fragmento et illo, quod infra daturus sum ex Diogene Laertio. Cf. fragm. VII. Sed in re tam incerta melius est tacere, quam somnia loqui. Quod autem negaui, ad Persica referendum esse hunc versum, iudicatum est ex eo, quod veri simile. Quæ vnica norma iudicandi, vbi veritatem peruestigare non datur. Etenim neque hic versus, neque alia, quæ Persicis abiudico, Choerili fragmenta, tam vehementer dedecent epici carminis formam et materiam, vt repugnarem, si ea ab antiquis et fide dignis auctoribus ad Persica referrentur. Hæc quidem sententia,

πέτρην κοιλαίνει ῥανὶς ὕδατος ἐνδελεχείῃ,

ita comparata est, vt etiam in epico carmine, exempli

et similitudinis caussa, inserta ferri possit. Quod tamen exemplum, in epico carmine positum, ei crimini obnoxium fuisset, quo Aristoteles exempla Choerili vniversa arguit. Verum vt nunc res est, si iudicandum ex eo, quod probabile, poetam philosophum magis quam epicum decet illa sententia.

Superest, vt de lectione versus Choerilei et de vocabulo ἐνδελέχεια necessaria subiiciam. Ionicas formas πέτρην et ἐνδελεχείῃ sine hæsitatione restituendæ erant. Qui versum laudant, plerique πέτραν exhibent. Deinde passim exhibent ἐνδελεχείη. Quasi sit nomen adiectivum pendens ab ῥανίς. At si ἐνδελεχείη in antiquis Galeni et Simplicii libris, id typographo vel librario tribuendum est. Etiam Simplicium scripsisse ἐνδελεχείῃ, clarum est ex iis, quæ scribit pag. ead. versus fin. ὡς ἐπὶ τῶν ῥανίδων τῶν ἐν χρόνῳ πλείονι τῇ ἐνδελεχείᾳ κοιλαινουσῶν τὴν πέτραν.

De vocabulo ἐνδελέχεια nimius forem, si omnes virorum doctorum disputationes et lites excutere vellem. Rem totam summatim exponere studebo. Vox fuit antiqua ἐνδελέχεια, *continuatio, perennitas*. Originem ignoramus. Aliquam in tenebris lucem præfert Hesychii glossa, ex qua etiam ἐνδελεχέω verbum fuisse colligitur: Ἐνδελεχεῖ. πυκνάζει. Λάκωνες. Ἐνδελεχοῦσα participium, sed vix alia auctoritate confirmandum, quam eius, qui prouerbium Choerileum in senarium iambicum coegit. Certior res est de his: ἐνδελεχής et ἐνδελεχῶς. Vid. Hesych. et Suid. in v. ἐνδελεχῶς, et Etymolog. M. p. 338. 25. p. 344. 33. Nec male Basilius Cæsar. nescio quo loco: τὸ γὰρ ἐνδελεχὲς τὸ πυκνὸν καὶ συνεχές. Eum laudat Pantinus ad Mich. Apostol. pag. 346. Ex Etymologico aliquid venit in lexicon rhetoricum ap. Bekkerum in Anecdotis p. 251. Omnes compilauit Phavorinus pag. 265. Ven. Et ne grammaticis vnice confidendum putes, sic Plato ἐνδελεχῶς dixit de rep. VII. pag. 539. d. quem locum Schneiderus laudauit in lexico; sic

Xenophon, quem Stephanus thes. tom. III. p. 1387. sic ἐνδελεχής Plutarchus locis a Stephano indicatis. Addam poetas. Crobylus apud Athen. X. p. 429. E. p. 443. F.

τὸ γὰρ ἐνδελεχῶς μεθύειν τίν' ἡδονὴν ἔχει.

Diodorus Sinopensis ibidem p. 431. D. quos versus multum abest vt sanauerit nouissimus editor.

'Επὴν κυάθους πίῃ τις, ὦ Κρίτων, δέκα,
εἰ τὸ παρ' ἕκαστον ἐνδελεχῶς ποτήριον
πίνειν τὸ λοιπὸν τοὺς λογισμοὺς αὐξάνει,
ταῦτα σκόπει πρὸς σαυτόν.

Sic scribendi sunt. In tertio versu vulgo: ἐξείη. Liber Parisinus: δέξαιμι. Menander apud Clericum p. 196.

— ἐνδελεχῶς ἕξεις ἀεί.

Euripides in Pirithoo ap. Valkenar. in diatr. Eurip. p. 39.

— ἄκριτός τ' ἄστρων
ὄχλος ἐνδελεχῶς ἀμφιχορεύει.

Hinc ἐνδελεχίζειν et ἐνδελεχισμός recentiores in libris nostris sacris: v. Hesych. et Stephanum in thesauro l. l. Hic vsus atque hæc scriptura vocis ἐνδελεχής et cognatarum quum mansisset etiam apud Platonem, exstitit Aristoteles, qui pro ἐνδελέχεια scribere coepit ἐντελέχεια: qua re non solum scripturam vocis, sed etiam significationem mutauit, dum nouam originem, ab ἐντελές et ἔχω, subiecit. Hoc in nomine ἐνδελέχεια fecit. Et dubitari potest, an in eo solo nomine fecerit, in cognatis vero antiquam et scripturam et significationem retinuerit. Certe ἐνδελεχῶς *assidue* est in libro de mundo cap. II. quem locum non neglexit Stephani diligentia. Sed hoc mittimus, quum liber ille de mundo suspectus habeatur, et alii loci non sint in promptu. Verum hoc certum est, quod dixi de nomine ἐντελέχεια apud Aristotelem. Hinc quæ oritur quæstio, vtrum antiquorum ἐνδελέχεια et Aristotelis ἐντελέχεια vna sit vox, an diuersæ sint, ea de verbis magis est quam de re, et sponte

solnitur. Si enim reputes, quæ commemoraui, Aristotelem cum etymologia et scriptura vocis etiam significationem immutasse: profecto diuersæ voces habendæ erunt. Altera parte dici potest, Aristotelem, quum ἐντελέχεια scriberet, non tam nouam vocem procudere, quam antiquæ etymologiam et vsum corrigere voluisse. Atque hoc modo rem iam veteres Græci acceperunt: Lucianus in iudicio vocalium X. pag. 95. et Gregorius Cor. pag. 155. ed. nouiss. Qui nullam nisi scripturæ differentiam vrgent. Neuter auctorem immutationis indicat. Gregorius Atticis adscribit. Vnde Phauorinus pag. 272. Ἐντελέχειαν ἀντὶ τοῦ ἐνδελέχειαν λέγουσιν Ἀττικοί. Ego Aristoteli tribuere non dubitaui. Cæterum non ignorasse videtur Lucianus, in Aristotelica voce ἐντελέχεια non solum scripturam, sed etiam vim esse atque etymologiam a voce ἐνδελέχεια diuersam. Incidit in hunc errorem, vt inter ἐνδελέχειαν et ἐντελέχειαν non nisi pronunciationis differentiam statueret, Scaliger Animadvers. in Euseb. pag. 118. b. Quem Hemsterhusius laudat ad Lucianum pag. 96. Sed profecto non nimis serio tractanda est tota illa Luciani disputatio de littera ταῦ. Neque omnia serio scripsisse censendus est. Decerni potest in singulis verborum exemplis, hanc dialectum legibus linguæ et etymologiæ magis satisfacere, illam minus; at in vniuersum dialectorum varietatem accusare et perstringere, in qua re disputatio Luciani ex parte versatur, id vero, si serio agatur, inepti est. Igitur, vt dixi, Lucianus non omnia serio et cogitate scripsit. Agit potissimum hoc, vt moderatum illum, quo ipse vtitur, atticismum defendat et commendet. Antequam de significatione vocis ἐντελέχεια dicere incipiam, tractandi sunt loci quidam, qui sententiæ, quam proposui, meæ aduersari videantur. Illud iam supra monui, incertum esse, vtrum Aristoteles hoc tantum nomen, ἐνδελέχεια, mutauerit, an idem etiam cognatarum vocum, ἐνδελεχής, ἐνδελεχῶς, scripturam et significatio-

nem nouauerit. Stephano teste, alicubi apud Aristotelem est: τὸ μὴ ἐντελεχές, id est, Gaza interprete, *intermissio.* Quod si verum, statuendum erit, in hac quidem voce scripturam tantum mutatam, significationem antiquam seruatam esse ab Aristotele. Quæ res mihi quidem dubia videtur. Facilius crediderim, Aristotelem, vt ἐντελέχειαν *actum* siue perfectionem, ita ἐντελεχές dixisse *perfectum.* Certe sic recentiores loquuti esse videntur. Vt Themistius. Porro Stephanus narrat, Platonem de legibus ἐντελεχῶς *assidue* dicere. Hoc ego non credo. Locum inuestigare non vacat. Platonem vbique ἐνδελεχῶς scripsisse puto, antiqua et scriptura et significatione. Nec poetæ, puto, ab vsu antiquitatis auctoritate munito depelli se passi sunt. Quare dubito an ἐνδελεχείαις scribendum sit in Menandri fragmento apud Stobæum Serm. XXIX. pag. 199. 13. apud Clericum pag. 216.

— πάντα γὰρ
ταῖς ἐντελεχείαις καταπονεῖται πράγματα.

Præsertim quum idem poeta alibi: ἐνδελεχῶς. At Menander, nisi fallor, vno versu scripsit:

πάντα γὰρ ταῖς ἐνδελεχίαις καταπονεῖται πράγματα.

ἐνδελεχίαις exhibet Erasmus, vbi hunc locum inseruit, in adagiis. Nec solum in ea editione, quam supra laudaui, sed etiam in antiquioribus. Quod nescio vnde acceperit: nam apud Trincauellum, vt in editionibus Gesnerianis a. 1549. et 1559. est ἐντελεχείαις. Contrario modo peccatum est apud Martianum Capellam lib. I. pag. 3. ed. Grot. *Voluit saltem Endelechiæ ac Solis filiam postulare.* Et lib. II. p. 46. *Aristoteles per cœli quœque culmina Endelechiam scrupulosius requirebat.* Grotius in notis habet *Entelechiœ* et *Entelechiam.* Atque hoc dedit Martianus, aut valde negligenter egit. Iam quod ad significationem attinet, quam voci suæ ἐντελέχεια tribuerit Aristoteles, modo dixi esse *actum* et

perfectionem. Budæi hæc est interpretatio, quam adoptauit Stephanus in thesauro, et alii quoque acceperunt. Vt vnum testem aduocem, hæc habet ab antiquioribus Apostolius l. l. pag. 208. *διαφέρει δὲ ἐντελέχεια ἐνδελεχείας· ἐνδελέχεια μὲν γάρ ἐστιν ἡ συνέχεια· ἐντελέχεια δὲ ἡ τελειότης, καὶ τὸ εἶδος τοῦ ὑποκειμένου.* Cf. Suid. in v. *ἐντελέχεια.* Atque hanc interpretationem etiam ii Aristotelis loci adiuuant, vbi *ἐντελέχεια* non de anima, sed ad alias res transfertur. Physic. lib. VIII. non procul ab init. *φαμὲν δὴ τὴν κίνησιν εἶναι ἐντελέχειαν τοῦ κινητοῦ ᾗ κινητόν.* Bene interpretatur Simplicius fol. 258. b. *ὅτι ἐστὶν ἡ κίνησις ἐνέργεια τοῦ κινητοῦ ᾗ κινητόν.* Restat expediendus Ciceronis locus Tusc. I. X. Agitur autem de eo, vtrum Cicero Aristotelem intellexerit, an non intellexerit. Itaque res grauis est. Ego, fateor, si demonstrari posset, scripsisse Ciceronem, quod Dauisius edidit ex Veneta quadam editione, *ἐνδελεχείαν,* ipse iudicarem, Ciceronem, quum ista scriberet, Aristotelis mentem non perspexisse, et Aristotelis *ἐντελέχειαν* cum antiqua illa, quam vidimus, *ἐνδελεχείᾳ* Choerili et aliorum confudisse. Verum, quum numquam futurum sit, vt illud demonstretur, malumus Ciceronem doctum quam indoctum facere. Itaque animo motum denegari ab Aristotele, probe sciebat Cicero; sciebat idem aliquid interesse inter *ἐνδελέχειαν*, vetus vocabulum, et Aristotelis *ἐντελέχειαν:* sed hanc non satis accurate interpretatus est *motionem*, quum deberet *actum.* Quod autem adiecit *continuatam et perennem*, quæ notio non inest in v. *ἐντελέχεια*, adiecisse videtur ea de caussa, quoniam ipse ex antiquo vocabulo *ἐνδελέχεια* hanc perennitatis notionem ad recentius vocabulum *ἐντελέχεια* commode transferri posse existimauit. Etiam Ernestus in hunc sensum disputauit, vt Ciceronem ab imperitiæ crimine liberaret. Vide indicem græcolatinum in v. *ἐντελέχεια.* Et bene ille gessit rem Ciceronis. Quamquam, dum Ciceronem cum Aristotele penitus conci-

liare studet, nimis longe progreditur. Nam quod dicit ἐντελής esse *perennem, perpetuum,* non verum est. Notio *perennitatis* in v. ἐντελέχεια non inest, sed a Cicerone demum, vt dixi, adiecta. Hoc vero acute monuit Ernestus, Ciceronem non dicere *motionem*, sed *quasi quamdam motionem.* Id quod multum valet ad excusandum Ciceronem. Qui tamen si accurate loqui voluisset, vocabulo *motione* melius abstinuisset. Dauisium non intellexisse, quid esset ἐντελέχεια, manifestum est.

Longius hæc me abduxerunt, quam putaueram. At quum Choerilum aliquantum reliquerimus, nihil impedit, quo minus alius scriptoris versum, cuius obiter mentionem facit is, quem supra commemoraui, C. Hofmannus, breuiter explicemus. Nimirum Hofmannus, postquam Choerili versum ex Galeno produxit, ex eodem Galeno III. vs. part. III. etiam hunc versum ponit, cuius auctorem se nescire fatetur:

ἀνταυγέω τὸν ὄλυμπον ἀταρβήτοισι προσώποις.

Scimus nunc, quod etiamsi nesciremus, coniectura, si quid sentio, assequeremur, versum esse Empedoclis. Vid. Sturzii Empedoclea v. 170. Vbi Sturzius, etsi bene vidit, Empedoclem non potuisse scribere ἀνταυγέω, in explicatione tamen huius verbi fallitur, et dum Plutarchum emendare tentat, Empedoclis verba corrumpit. Plutarchi hæc sunt de Pythiæ oraculis p. 400. B. ὑμεῖς δὲ τοῦ μὲν Ἐμπεδοκλέους καταγελᾶτε, φάσκοντος τὸν ἥλιον περιαυγῆ (sic hoc quidem eleganter Wyttenbachius pro eo, quod vulgo est, περὶ γῆν) ἀνακλάσει φωτὸς οὐρανίου γενόμενον αὖθις ἀνταυγεῖν πρὸς ὄλυμπον ἀταρβήτοις (vel ἀταρβήτοισι) προσώποις. Multum fallitur, vt dixi, Sturzius, qui ex Galeno in Plutarcho restitui iubet τὸν pro πρός. Empedocles scripserat:

ἀνταυγεῖ πρὸς Ὄλυμπον ἀταρβήτοισι προσώποις.

Sic, ἀνταυγεῖ, non ἀνταυγέει. *Sol refulget ad Olym-*

pum, id est, *repercutit splendorem ad Olympum.* Vel etiam scripserat ἀνταυγεῖν: hoc incertum, quum nexum loci ignoremus. Addidit ornatus caussa: ἀταρβήτοισι προσώποις, in quo notio perennitatis, aut, si malis, celeritatis inest. Hæc igitur verbi ἀνταυγέω potestas primaria est, vt sit neutrum et coniungatur cum præpositione πρός, vel cum datiuo eius rei, cui respondet splendor ille: vt Anaxagoras dixit, Ἶρις ἀντιλάμπει τῷ ἡλίῳ, ap. Valken. in Eurip. diatr. p. 195. Empedoclis versum in suam rem deflectens Galenus hominem dicentem facit:

ἀνταυγέω τὸν Ὄλυμπον ἀτ. π.

Quippe verbum ἀνταυγέω, quod primitus neutrum fuit, interdum accusatiuum adsciuit. Ambigue loquuntur Euripides ap. Valken. diatr. pag. 194. et Chæremo ap. Athen. XIII. p. 608. B. quos versus explicuit Hermannus ad Hecubam. Sed nihil impedit, quo minus pro accusatiuis ibi habeantur σέλας et ἔργον. Ad hunc modum, sed longe audacius, Galenus scripsit: ἀνταυγέω τὸν Ὄλυμπον, vt si dicat aliquis: *Olympum oculis refulgeo.* Quo ad sensum voluit significari *respicio.* Credimus enim τὸν scripsisse Galenum. Alioquin facile foret, restituere πρὸς ex Plutarcho.

In ipsa illa solis descriptione sedem suam habuit, certe ad solem respicit Empedoclis versus is, quem seruauit grammaticus Bekkeri Anecd. v. I. p. 337.

ἄθρει μὲν γὰρ ἄνακτος ἐναντίον ἁγέα κύκλον.

Qui versus noua accessione auget reliquias Empedocleas. Eum tamen iam protulerat, ab Ruhnkenio acceptum, Hemsterhusius in docta illa disputatione de v. εὐαγής, quam repetendam curauit in comment. ad Aeschyli Persas v. 464. Schutzius, vir celeberrimus, cuius in me beneuolentiam, et familiaritatem suauissimam inter ornamenta habeo. Verum dum grammaticum istum reprehendit Hemsterhusius, quod male ad-

hibuerit vocabulum *παναγής*, ipse erroris reus tenetur. *Ἀγής*, si quid video, prorsus diuersum fuit a *περιηγής*, nec *rotundum* significauit Empedocli, sed *sacrum*. Vt grammaticus rectissime inter se comparauerit hæc: *ἀγής*, *εὐαγής*, *παναγής*. Quodsi obiecerit aliquis, tum primam syllabam in *ἀγής* corripi debuisse: ego confido Hipponactis versui apud Tzetzam ad Lycophr. 436.

ὡς οἱ μὲν ἀγεῖ Βουπάλῳ κατηρῶντο.

Qui tum latuisse videtur Hemsterhusium. Idem est Empedocleum *ἀγής* et Hipponacteum *ἀγής*, eodem sensu atque eadem notione, significatione tantum diuersa. Quam in rem conferri potest, si opus est, Ruhnkenius ad Timæum in v. *ἄγος*. Vtrum *ἀγής* scribatur, an *ἀγής*, non multum interest, quum vtrumque analogiam suam, qua se tueatur, habeat. Apud Hipponactem quidem hac in re variant Tzetzæ libri. Non semel hoc sibi arrogauit Empedocles, vt ex verbis compositis, sed quorum compositio dudum oblitterata esset, faceret simplicia. Ante Empedoclem rarissimum et post Empedoclem insolentissimum fuit *ἀγής*. Eamdem insolentiæ notam habent *ἠνεκές* et *ἠνεκέως*. Quæ ab Empedocle demum introducta esse acute coniecit Hermannus in elementis doctrinæ metricæ pag. 54. Qui liber commodum apparet, vt hoc inde enotare possim. Talia studiose arripuerunt Alexandrini poetæ, nouarum rerum, vbicumque inuenirent, cupidissimi. Nicandrum adhibuit Stephanus in indice thesauri. Ante Nicandrum iam Callimachus *ἠνεκές* scripserat fragm. CXXXVIII. In Empedoclis versu apud Aristot. Rhetor. I. XIII. *ἠνεκέως* tam insolitum visum est ei, qui codicem Regium Dresdanum scripsit, vt etiam contra metrum scriberet:

αἰθέρος διηνεκέως τέταται.

Versus est 381. ed. Sturz. Quæ præcedunt apud Aristotelem, *τοῦτο γὰρ οὐ τισὶ μὲν δίκαιον, τισὶ δὲ οὐ δίκαιον*, quum non vno modo possint in versum redigi, non

possunt eo modo, qui Sturzio placuit. Empedocles non corripuit *δίκαιον*. Sturzio debentur, quae alia correptae diphthongi exempla leguntur in Empedocleis. Vs. 117. facile quisque intelligit legendum esse: *ἀποῤῥοαί*. Quod vel Plato postulat, cuius verba adscripsit Sturzius pag. 349. Phrynichus apud Bekkerum in Anecdotis: *Ἀποῤῥοή· σεμνότερον τοῦ ἀπόῤῥοια*. Versum 174. sqq. sanauit Xylander ad Plutarchum.

X.

Diogenes Laertius lib. I. 24. pag. 16. de Thalete:

ἔνιοι δὲ καὶ αὐτὸν πρῶτον εἰπεῖν φασιν ἀθανάτους τὰς ψυχάς· ὧν ἐστι Χοίριλος ὁ ποιητής.

Editio Londinensis melius: *Χοιρίλος,* ex mente Menagii, cuius ad hunc locum est disputatio de Choerilis.

Thales an immortalitatem animæ docuerit, viderint alii. Cf. si placet, Diogenis interpretes. Cicero quidem, quod bene indicat Casaubonus, non repugnat Choerili testimonio. Suidas: *πρῶτος δὲ Θαλῆς τὸ τοῦ σοφοῦ ἔσχεν ὄνομα, καὶ πρῶτος τὴν ψυχὴν εἶπεν ἀθάνατον.* Eadem apud Eudociam. Verum hæc ad vnum fontem redeunt, nempe ad Diogenem Laertium. A quo tamen non ipso ea accepisse videtur Suidas, sed tertio quodam scriptore intercedente. Ac fortasse per Hesychium Milesium accepit. Licet apud eum, qui nunc appellatur Hesychius Milesius, nulla sit Thaletis mentio. Aliunde petita puto, quæ Nemesius habet. Quem Menagius excitauit.

At nostrum est, diiudicare, vbinam Choerilus illud de Thalete testatus sit. Nam quin noster intelligendus sit Choerilus, nemo dubitauerit. In Persicis quidem illud dixisse poetam, non credibile est. Sane, vt multa fingi possunt, ita occasio etiam quædam fingi poterit, qua oblata ibi dixerit. Ego vero de alio quodam Choerili opusculo, sed poetico, cogitandum existimem.

Quæ in vita Thaletis Diogenes exhibet, Callimachi fragmenta, ex choliambis, in mentem mihi reuocant inventum quoddam meum, quo et versum, qui nunc

sine nomine fertur, domino suo sum restituturus, et Callimachi iamborum reliquias noua, eaque non contemnenda accessione locupletaturus. Bastius ad Greg. Cor. p. 241. ex Etymol. ms. Paris. hunc versum profert sine nomine:

ὕδειν ἔοικε τὴν φερέζωον κόρην.

Cuius particulam exstare monet apud Suidam in v. ὕδω. Versus est Callimachi, apponendus fragmento LXXVI. hoc modo.

Ὕδειν ἔοικε τὴν φερέζωον κόρην,
τὴν Ὡγαμέμνων, ὡς ὁ μῦθος, εἴσατο,
τῇ καὶ λίπουρα καὶ μόνωπα θύεται.

Hoc fragmentum volebat Salmasius in Plin. exercit. pag. 267. F. vbi κόλουρα laudat ex Callimacho, memoriæ puto errore. Probum est λίπουρος, et lexicis reddendum, in quibus nunc legitur λείπουρος. In illo versu, si hoc dignum obseruatione, φερέζοον pronuntiauit vel etiam scripsit Callimachus. Præiuerant Attici, et ipse Homerus in nomine φυσίζοος. Verbum ὕδειν, si recte coniicio, primam producebat: verbo ὑδέω, quæ verbi forma frequentior, propria fuit correptio, ad heroicum versum aptior.

Quam hoc scribendi genus habet exspatiandi veniam, ea hic vtar, vbi Choerili fragmentum, in quo versamur, parum fructuosam ad disputandum præbet materiam. Callimachum tractanti obuiam factus est Romanus Callimachus, Propertius, et Propertii locus impeditissimus. In quem locum quæ olim commentus sum, multo post tempore iterum iterumque examinata, semper magis et magis placuerunt, et nunc mihi vera sunt. Vera enim dici possunt, quæ eiusmodi sunt, vt meliora inuentum iri desperandum sit. Versus sunt hi lib. II. XIII. 45. sqq.

Nam quo tam dubiæ seruetur spiritus horæ?
Nestoris est visus post tria sæcla cinis.
Cui si tam longæ minuisset fata senectæ
Gallicus Iliacis miles in aggeribus,
Non ille Antilochi vidisset corpus humati,
Diceret aut, o mors, cur mihi sera venis?

Vbi pro manifesto atque explorato habebimus illud, veram esse lectionem virorum acutiorum consensu approbatam, *Cui si minuisset*; tum hoc, quod inde sequitur, *Gallicum militem*, seu quicquid ibi legatur, esse militem Troianum, vel de Troianorum agmine militem. Sensum eatenus bene perspexerat, qui versum 47. non prorsus recte legebat, Beroaldus; cuius hæc explicatio est: *Si miles aliquis in bello Troiano minuisset longam Nestoris ætatem illum iugulando, profecto non vidisset funus filii Antilochi.* Alteram lectionem, *meminisset*, quam rectissime reiecit Beroaldus, primus, quem sciam, inter editores, et fortasse omnium primus, intulerat Ioannes Calphurnius. In versu 47. hoc ambiguum est, vtrum cum Santenio scribendum sit, quod exhibui, *Cui si tam longæ,* an quod Heinsius legebat, insolenter dictum,

Cui si longæuæ m. f. senectæ.

Vulgata lectio editionis a. 1475. et Regiensis, et Vincentinæ quoque, codicum etiam aliorum, quam quos editores contulerunt, hæc est: *Quis tam longeuæ.* Ego præfero, quod Santenio placuit. *longæuæ* ab iis est, qui, quum ex antiqua scriptura *Cui si* perperam factum esset *Quis*, vnam syllabam versui deesse intelligerent. Particulam *tam* tuetur quicquid est librorum. Iam *Gallicus miles* merito omnibus displicuit. *Gallicum* dicere militem Troianum, ab ignobili fluuio et longe remoto, et *Gallicum* præsertim, cuius appellationis tanta ambiguitas futura fuisset: hoc Lycophronis fortasse artificium foret, Propertianum non est.

Variant aliquantum codices ms. sed leuem puto eam varietatem esse, nec valde antiquam. Quod Vossianus quartus in margine habuit, *Chloricus*, critici est, nisi fallor, qui eo nomine *Nestorem* designari voluit: Chloridis fuisse filius perhibetur Nestor. Heinsii et Santenii coniectura est, *Troïus* vel *Troicus*; Burmanni, *Dardanus*. Quæ nomina tam trita, et tam recedentia a vulgata scriptura, nemo vt demonstraturus sit, quis vel cur a planissima lectione tam vehementer aberrare potuerit. At ne sensui quidem et stylo Propertii multum consulitur hoc modo. Ieiunum hoc est: *Nestorem si Troianorum aliquis interfecisset.* Qui antiquis fabulis tantopere delectatur, Propertius, hic quoque vnam quamdam fabulam, nec periculum vitæ omnino omne, in quo per decem annos versatus est Nestor, sed vnum diem et vnum heroem, qui eo die in angustum adduxisset Nestorem, cogitabat. In hanc rem nulla fabula aptior, nulla nobilior, quam quæ traduntur de congressu Nestoris cum Memnone. Traduntur autem diuersa. Quinti narratio est lib. II. v. 300. sqq. fortasse de duabus antiquior, certe ex antiquis scriptoribus petita, Nestorem, quum Antilochus peremtus fuisset, ira accensum obuiam se tulisse Memnoni. Cf. Tzetzæ Posthom. v. 280. Eam fabulam quod antiquiorem dixi, non spoponderim, prorsus eadem narrasse antiquissimos, velut Arctinum. Qui fortasse alio modo ex tanto discrimine expediuerat Nestorem. Antiquitatem Memnonis clementiæ non tantum tribuisse putauerim, quantum tribuit Quintus. Altera narratio est, eaque ornatior et artificiosior, Antilochum, quum senem patrem defenderet, occisum fuisse ab Memnone. Ea præclarissimum testem habet Pindarum Pyth. VI. 28. sqq. Add. Philostr. Imag. lib. II. VII. pag. 820. et Heroic. pag. 699. quem expilauit Eudocia pag. 46. Hæc fabula est, quam respexit Propertius. Vides, quam egregie omnia concinant, modo ex desperata voce *Gallicus* ex-

tundatur, quod pro nomine Memnonis haberi possit. Tale nomen ego præsto, emendatione nec nimis audaci, vt in loco desperato, et qua ita describatur Memno, nusquam vt possit melius. Lego:

Cœrulus Iliacis miles in aggeribus.

Nigri homines, *ἄνδρες κυάνεοι*, *μέλανες*, communi appellatione Aethiopes vocantur: vid. Ruhnk. Ep. crit. II. pag. 168. add. Aeschylum Prom. 814. et 857. Quo sensu Propertius IV. VI. 78.

Cepheam hic Meroen, fuscaque regna canat.

Hic vero, quum *cœrulum militem* diceret Propertius Memnonem, non timendum fuit, ne dubitaretur, quisnam ibi intelligendus esset. Ex Aethiopibus præter Memnonem nemo cum Nestore congressus est, vt omnino de comitibus Memnonis, eorumque in bello Troiano facinoribus, nihil vel non multum tradendum habuit antiquitas. Ad Ruhnkenii disputationem addo Cynegeticorum scriptorem IV. 149. apud quem *αἴθοπες* Rittershusio acceptum fuit pro nomine proprio, vt sint *Aethiopes.* Et sic nuper Schneiderus statuit. *Aethopium* noui, et *Dianam Aethopiam:* sed hoc aliud est. Aethiopes semper *Αἰθίοπες,* numquam *Αἴθοπες* dicti sunt, licet vtriusque vocis eadem sit origo. *αἴθοπες*, *nigri,* Cynegeticorum scriptori audiunt viri illi, importuno et languido epitheto: quod sentiet, qui ex Homero aliisque bonis poetis compertum habuerit, quænam epitheta et quando ponenda sint vnoquoque loco.

Memno quonam colore fuerit, non inutilis est disputatio et noua fortasse: cuius hic capita quædam, et potiora, vt spero, capita percensebo. Homerus et Hesiodus haud dubie non nisi album Memnonem nouerant. Arctino, testi et arbitro huius rei primario, quid placuerit, coniectura assequi poterimus, Quinto adhibito, et qui præterea ad Arctinum se composuisse videntur. Quintus, quum Aethiopes *nigros* dixerit II. 32. 101.

642. quo et singulorum, quæ ille finxit, tendunt nomina, *Aethops* et *Nychius*: Memnonem tamen ipsum nulla re ab heroibus græcis diuersum sistit. Polygnotus in celeberrima illa pictura puerum Aethiopem nudum addiderat Memnoni. Id est, fusco colore puerum: Nimirum quo distingueretur Memno, quem album fecerat pictor, vt reliquos heroes. V. Pausan. X. p. 875. Huc egregie facit Eustathius ad Dionys. v. 249. vbi Memnonem docet pulcerrimum et solum inter Aethiopes valde candidum fuisse, *ὑπερλελευκάνθαι*, vt Auroræ filium. Deinde qui has fabulas propius adducere ad historiæ veritatem studuerunt, quum id non vno modo fecerint, plerumque tamen ita fecerunt, vt album colorem Memnoni dedisse videantur. Inter eos, qui illum tradunt ad Troiam accessisse a Persis, Suidas in v. *Μέμνων* diserte negat eum fuisse Aethiopem. Alii, quibus mirum et incredibile, ac recte quidem, erat hoc, Memnonem Aethiopem siue Aegyptium auxilio venisse Troianis, duos Memnones finxerunt: vnum Aethiopum illum et Aegyptiorum heroem, alterum Troianum. Iam vero hunc, Troianum, ne potuerunt quidem nigrum facere, sed album fecerunt, vt cæteri. V. Philostrati vita Apoll. VI. IV. p. 232. sq. et Heroica p. 669. In Heroicis et hinc apud Eudociam p. 46. corruptum est, si quid video, *Τρωϊκοῦ*. Corrige, *Τρωΐλου*. Nisi hoc iam animaduerterunt viri docti. Alio loco, pag. 288. vulgatam fabulam sequuta est Eudocia. Quid veri insit in tota illa fabula, si quid fuit, bene indicauit Heynius ad Apollodorum III. XII. 4. Quis primus nigrum siue fuscum finxerit Memnonem eum, qui bello Troiano interfuisse dicitur, nolim dicere confidentius. Loquitur de eo aliquoties Pindarus, atque ita loquitur, vt si fuscum nouisset, non præteriturus fuisset rem tam singularem. Quare tragicis Græcorum poetis hanc inventionem vindicandam esse aliquando coniiciebam. Certe non sine magno auctore fuscum dixerunt romani

scriptores optimi et antiquissimi. *Nocticolorem*, audaci dictione, quam notauit Gellius XIX. VII. Læuius, vt fertur, dixit: rem a Græcis didicerat. *Nigrum* Virgilius Aen. I. 489. Ouidius Amor. I. VIII. 3. *Atrum* idem Ouidius ibid. XIII. 31. *Nigrum* Seneca quoque in Agamemnone v. 212. Denique *cærulum*, *κυάνεον*, Propertius ex nostra emendatione. Inter græcos scriptores inferiores eamdem viam iniit Philostratus in Imaginibus I. VII. p. 773. II. VII. p. 820.

In prouerbio est veteribus Nestoris ob Antilochum luctus. Sophoclis versus ex Philocteta ad Propertium attulit Toupius. Conferri possunt Horatius Od. II. IX. 13. et Tryphiod. v. 18.

XI. XII.

Γῆς ὀστέα. Γῆς φλέβες.

Hæc quod in reliquiis Choerili Samii collocauerim, fortasse multi erunt, qui me vituperent. Iudicium esto apud peritos. Egregium est et quantiuis pretii Tzetzæ excerptum, pro quo multa illi stulte et arroganter dicta condonabimus, quod ex commentario in Hermogenem inedito vulgauit Ruhnkenius ad Longinum III. 2. pag. 236. ed. nouiss. Id hoc loco describam integrum. De metaphoris loquitur.

Καὶ πόῤῥω δὲ λαμβάνονται, ὥσπερ ποιεῖ Χοιρίλλος,
καλῶν τοὺς λίθους γῆς ὀστᾶ, τοὺς ποταμοὺς γῆς φλέβας.
ὡς τὴν σελήνην οὐρανοῦ πάλιν Αἰσχρίων σίγμα·
οὕτω γὰρ λέξεσιν αὐταῖς αὐτὸς Αἰσχρίων λέγει·
Μήνη τὸ καλὸν οὐρανοῦ νέον σίγμα.
Τὸν λόγον ἐκτραχύνουσι, σκληρύνουσι δὲ πλέον,
ἢ μᾶλλον εἰς ψυχρότητα σύρουσι γελαστέαν.
ὡς καὶ ὁ γράψας τὰ ψυχρὰ ταυτὶ τῶν ἰαμβείων·
Στενὸν καθ' Ἑλλήσποντον, ἐμπόρων χώρην,
ναῦται θαλάσσης ἐστρέφοντο μύρμηκες.
καὶ πολλαχοῦ δύστηνα τοιαυτὶ λέγει·
Ὁ δ' ἐξελὼν ἱμάντα φορτίου ζώνην.
Ἶρις δ' ἔλαμψε, καλὸν οὐρανοῦ τόξον.
Καὶ πίσσαν ἐφθήν, ἣν θύραι μυρίζονται.

Primum versum expleui addita particula *καί*. Sic sæpe *καί* et *δέ* iungit Tzetzes in chiliadibus. Ad Aeschrionem postea accedemus. Ante omnia dispiciendum est, vtrum-

ne cum Choerilo Tragico hic nobis res sit, an cum Choerilo Samio. De illo cogitauit Ruhnkenius, nec sine idonea ratione. Muretus var. lect. X. II. Ouidium, quod in libro primo Metamorph. *lapides* vocauerit *terræ ossa*, animaduertit sequutum esse auctoritatem veteris tragici. Citari enim hæc a vetere grammatico:

Γῆς ὀστέοισιν ἐγχριμφθεὶς πόδα.

Eum grammaticum Eustathium esse vidit Ruhnkenius. Qui hæc adscripsit ad Muretum p. 275. ed. Hal. *Hunc versum sine auctoris nomine laudat Eustath. ad Il. B. pag.* 309. *Sed auctorem Choerilum edit Tzetzes MS. cuius locum ad Longinum p.* 125. *attulimus.* En verba Eustathii: τετόλμηται δὲ καὶ γῆς ὀστᾶ τοὺς λίθους εἰπεῖν, ὡς δηλοῖ τό, γῆς ὀστέοισιν ἐγχριμφθεὶς πόδα· ἤτοι λίθοις προσκόψας· καὶ τοῦτο μὲν διθυραμβῶδες. Præmiserat similia exempla: χθόνα στερνοῦχον ex Sophocle, αἷμα σταφυλῆς, alia. Itaque si eumdem poetam respiciunt Eustathius et Tzetzes, profecto is Choerilus Tragicus est. Nam versus manifesto iambicus est: excidit in medio epitheton pedis. Verum hoc ipsum, an eumdem respiciant, non tam exploratum est, quam visum est Ruhnkenio. Reputet hæc aliquis. Primum, Eustathii disputationem si conferas cum Tzetzæ loco, clarum est, eos non vnum auctorem sequutos esse, sed diuersos. Alia exempla Eustathius, alia Tzetzes habet. Illud maxime, quod ex Choerilo habet Tzetzes, γῆς φλέβας, quis putet omissurum fuisse Eustathium, si eumdem ducem ante oculos habuisset, quem habuit Tzetzes? Est aliquid simile apud Eustathium, sed diuersum ab illo, et multo minus audacter dictum: φλέβες ὑδάτων. Deinde plane non intelligitur, quid insit tam singulare in hac metaphora, γῆς ὀστέα, cur ea non nisi ab vno poeta adhiberi potuerit. Sane hoc prorsus singulare fuerit et inauditum, quod est apud Eustathium, γῆς ὀστέοισιν ἐγχριμφθεὶς πόδα: estque hoc aut iocose dictum, aut ab-

surdum. At eamdem metaphoram si caute ac modeste adhibitam tibi fingas, nec tam audax, nec tam longe petita videbitur, quin plures poetæ in eam incidere potuerint. Sic illa elegantissime aptissimeque vsus est in Deucalionis fabula Ouidius: cui hoc Muretus confidentius quam cautius tamquam inuentum tribuit. Choerilum Samium egregie decet illa metaphora, quem figurato sermone delectatum fuisse constet. Choerilus Tragicus vt ea vsus esse putetur, nihil suadet; cuius sermo qualis fuerit, figuratus an non figuratus, nemo puto nunc compertum habet. Præterea mirabile hoc foret, et singularis casus, si eius poetæ, ex quo tot scriptores antiqui nihil habuerunt, quod proferrent, vnum versum seruasset recentissimus scriptor, Eustathius: nisi oculatioribus plures Choerili Tragici versus inuenire contigerit.

Quid sentiam, nunc plana est expositio. Versus, qui est apud Eustathium:

γῆς ὀστέοισιν . . . ἐγχριμφθεὶς πόδα,

non est Choerili Tragici, sed paullo inferioris ætatis, at ex florentissima tamen ætate. Est autem comicus, vel potius satyricus. Quæ Tzetzes protulit, ea ad Choerilum Samium pertinent. Ac quominus referantur ad Persica, nihil impedit; immo aliquid persuadet. Namque rem tam leuem nisi ex magno quodam et celebri carmine non enotaturi fuissent et propagaturi. Nec tamen Choerilum credemus ὀστέα et φλέβας *terræ* simpliciter dixisse saxa et flumina: sed moderate, vt paullo ante significabam, ea metaphora vsus est, eo fere modo, quo Homerus *nauium pennas* dixit vela in Tiresiæ vaticinio, vel vt *pennas* idem arma in Iliadis XIX. 386. *Πτερὰ sagittas* simpliciter dixit Aeschylus Septem c. Theb. 678. *καὶ πτερῶν προβλήματα.* quam lectionem ibi vulgaturus est Hermannus. Audacissime hoc dictum est etiam pro tragico poeta.

Aeschrionis versus, quos seruauit Tzetzes, nam sunt illi sex omnes Aeschrionis, admonuerunt, vt de hoc poeta aliquid proferrem certius, quam a viris doctis passim obseruatum vidi. In illis quidem versibus *σίγμα* est emendatio Ruhnkenii. Codex vtrobique: *σίγανα*. Tum cauendum est, ne corruptum putes Aeschrionis versum alterum. Acumen quæsiuit in eo, vt mare *χώρην* diceret. Denique in vltimo versu particulam *καὶ* Tzetzæ tribuit Ruhnkenius: ego eam ad Aeschrionis versum retuli. At Tzetzæ est iste versus: *καὶ πολλαχοῦ δύστηνα* etc. Aeschrionis ætatem nemo explorauit. *Vetustum scriptorem* vocat Ruhnkenius. Ne vetustissimum habeamus, vetant illi ipsi versus. Vt metaphora antiquissimi et optimi quique poetæ vsi sunt, ita sacco spargere metaphoras, quod fecisse Aeschrionem arguit Tzetzes, paullo recentiorum est. Lubricum tamen est hoc argumentum, nisi fortiora accedant. Fortiora autem præbent auctores veteres, quibus ita vtar, vt ex duobus Aeschrionibus vnum faciam. Nempe quum veterum scriptorum historia sæpe obscurata sit eo, quod diuersos scriptores eiusdem nominis in vnum confuderunt, etiam contraria ratione interdum peccauerunt viri docti nimium distinguendo. Duos Aeschriones distinxerunt Ionsius de script. hist. philos. II. II. 5. p. 147. et post Ionsium Fabricius in bibl. græca vol. II. pag. 96. edit. Hamb. quæ nunc sola ad manum est, et Ruhnkenius ad Longinum l. l. Vnum Samium, quem laudat Athenæus VII. p. 296. F. VIII. p. 335. C. Alterum Mitylenæum, quem Suidas et Eudocia, et Tzetzes in chil. VIII. vs. 406. sqq. et in Lycophr. v. 688. Neque alium, quam Mitylenæum intellexit in commentario ad Hermogenem. Iam vero cum Tzetza compares Athenæum. *Ἰαμβοποιὸν* dicit Aeschrionem suum, et ex eo choliambos profert Athenæus; Tzetzes Aeschrioni suo iambos tribuit in chiliadibus, et choliambos profert ad Hermogenem. Quid hinc efficietur aliud, quam hoc, vnum

eumdemque esse Aeschrionem Samium et Aeschrionem Mitylenæum? Qui poeta quo tempore vixerit, nunc in aprico est. Aristotelis familiarem amasiumque, et Alexandri Magni comitem faciunt Suidas et Eudocia; quibuscum eximie conuenit Tzetzæ in chiliadibus. Eximie competunt reliqua. Aeschrionis nostri filius fuit Lysanias, quem opportune huc retulit Ionsius ex Diogene Laertio, et quem Athenæus laudat VII. p. 304. B. XIV. p. 620. C. De iamborum scriptoribus commentari neminem melius decebat, quam filium eius, qui iambos scripsisset. Ille ipse autem Lysanias, quod bene animaduertit Ionsius, Eratosthenis præceptor fuit.

Hæc tam perspicua et tam bene inter se conuenientia sunt, nihil vt indigeamus aliis testimoniis. Immo hinc lux redundabit ad testimonium Athenæi VIII. pag. 335. C. Ex eo discimus, Polycrate Atheniensi sophista posteriorem fuisse Aeschrionem. Quem Polycratem singulari loco posuit, vno Athenæo teste vsus, Fabricius in bibl. græca vol. VI. p. 829. Hamb. At vero hic Polycrates non diuersus est a Polycrate Atheniensi rhetore, Zoili magistro, de quo idem Fabricius vol. IV. pag. 486. Ionsius I. VII. 3. pag. 41. Menagius ad Diog. Laert. in Socrate pag. 91. Polycratem *sophistam*, præter Athenæum, dicunt Diogenes Laertius, et qui argumentum in Isocratis Busirim scripsit. Hic sophista, vt consumpsit otium suum in defensione hominum olim scelestissimorum, ita Socratem dudum mortuum accusatione insectatus est, et Philænidis, castæ mulieris, si Aeschrioni fides, memoriam iniusta criminatione contaminauit. Quem vltus est Aeschrio, fortasse patriæ suæ famam vindicaturus. Si Samius fuit Aeschrio. Philænidem fuisse Samiam prodidit Dioscorides ep. XXVI. Polycratem sophistam in Philocratem comicum transformauit scholiastes ad Luciani Amores XXVIII. p. 429. vol. II. Fraudi fuit homini verbum κωμῳδεῖν. Aeschrionis in Philænidem epigrammatis hunc indicem attulit

Iacobsius in Anth. I. I. p. 385. *εἰς Φιλαινίδα τὴν Ἐλεφαντίνης ἑταίραν, τὴν γράψασαν ἐν πίνακι τὰς γυναικείας μίξεις ἐκείνας, δι' ἃς καὶ κωμῳδεῖται παρὰ τῶν ἐν Ἀθήναις σοφῶν.* Aliquid tale quum legisset scholiastes Luciani, *κωμῳδοποιὸν* suum inde creauit. In nomine *Polycratis* facilis erat aberratio: *Phylocrates* est in codice Gothano Quinctiliani III. I. 11. Igitur alium auctorem circumspicere debent, qui porro volent inter comicos poetas numerare Philocratem.

Scripsit et heroica carmina Aeschrio. Eaque sola norunt Suidas et Eudocia. Ex Ephemeridibus, quo opere Alexandri Magni itinera persequutus esse videtur, versus exstat apud Tzetzen in chiliadibus, ita legendus:

σὺν ῥ' ἐχύθη ψυχήν τε, πολὺς δέ μιν ἔσχ' ὀρυμαγδός.

Vulgo: *ψυχὴν, πουλὺς — ἔσχεν ὀρυγμαδός.* Aliud fragmentum ex iambis Aeschrionis Athenæus inseruit lib. VII. pag. 296. F. Quod infeliciter tentauit Boissonadus apud Schweighæuserum in addendis pag. 447. Vir eruditissimus de veris iambis agi putauit, oblitus eo tempore aliorum Aeschrionis versuum, qui scazontes sunt. Equidem non negauerim etiam puros iambos scripsisse hunc poetam: at quum ille versus, quem corrigendum statuit Boissonadus, bonum scazontem constituat, multo magis veri simile est, aliquid turbatum esse in præcedente, cuius particulam tantum posuit Athenæus. Hoc fere scripserat poeta:

καὶ θεῶν σῖτον
ἄγρωστιν εὗρες, ἣν Κρόνος κατέσπειρεν.

Herbam illam *ἀείζωον* appellat Athenæus p. 679. A. et *ἀθάνατον* scholiastes Apollonii I. 1310. Qui immortalem facit cibus, is recte dicitur diis proprius.

Hæc quæ scripsi de Aeschrione, si quid inest nouum et antea non obseruatum, veniam habebunt degressionis. Digrediendi hanc occasionem etiam eo con-

silio arripui, vt illustraretur choliambicæ poeseos historia, parum illa explicata. Quod poeseos genus, vt Aeschrionis exemplo demonstratum est, et alio exemplo a me demonstrabitur in hac scriptione, renatum est et secundam ætatem vixit Alexandri Magni sæculo. Cui ætati Alexandrinos poetas adiungere, vel, si quis hoc malit, tertiam ætatem distinguere licebit. Fuit autem hoc prorsus consentaneum Aeschrionis, Phoenicis, aliorumque tempori, ne Alexandrinos commemorem, et consentaneum fuit illorum hominum indoli, vt ad choliambos redirent: in quo carminis genere primorum auctorum antiquitas et paucitas, et metri forma singularis atque insolens mirifice delectare debuerunt animos tædio celebratiorum poeseos generum captos et ad noua quæque arrectos. Itaque in hac poesi cum Aeschrione elaborarunt alii. Quippe eadem ætate, nisi coniectura me fallit, floruit Parmeno Byzantius, quem aliquoties laudant Athenæus et Stephanus Byz. Neque alia Hermeas Curiensis, quem Athenæus XIII. p. 563. E. Atque exitum aliquem habuerunt conatus. Hoc tamen ex illis nemo mereri potuit, vt canone dignus haberetur a criticis Alexandrinis. Sane in genere secundario, quale est choliambicum, vnum inuentorem et perfectorem laudari sufficiebat.

Καὶ τόδε Χοιρίλου:

Εὖ εἰδὼς ὅτι θνητὸς ἔφυς, σὸν θυμὸν ἄεξε
τερπόμενος θαλίῃσι· θανόντι τοι οὔτις ὄνησις.
καὶ γὰρ ἐγὼ σποδός εἰμι, Νίνου μεγάλης βασιλεύσας·
κεῖν' ἔχω, ὅσσ' ἔφαγον καὶ ἐφύβρισα, καὶ σὺν ἔρωτι
τέρπν' ἔπαθον· τὰ δὲ πολλὰ καὶ ὄλβια πάντα λέλυνται.
[ἥδε σοφὴ βιότοιο παραίνεσις ἀνθρώποισιν.]

In Sardanapali tumulum. Exstat hoc epigramma, cum Choerili nomine, in Anthologia græca, t. I. p. 185. Brunk. sex versibus, quorum sextum ego vncorum signis inclusi. Exhibent illud præterea Strabo XIV. pag. 989. vel 672. et vno versu auctius, Athenæus VIII. pag. 336. A. atque scholiastes Aristophanis ad Aues v. 1022. et, quæ scholion illud integrum descripsit, Eudocia pag. 372. Eudociam rursus ad verbum, cum omnibus mendis, expressit Phauorinus in v. Σαρδανάπαλος pag. 652. Ven. Quinque priores habent Tzetzes in Chil. III. v. 453. sqq. pag. 47. Basil. et ex quo Tzetzes descripsit, Diodorus Siculus II. XXIII. In vulgatis Diodori libris tantum quartus et quintus legebantur: sed tres priores Wesselingius restituit ex Tzetza et melioribus codicibus. Etiam Vindobonensis codex eos habet: vid. editio Diodori Bipont. vol. X. p. 422. Adde alios scriptores, qui partem tantum epigrammatis, duos vel tres versus, vel vnius versus partem præbent, apud Iacobsium Animaduers. in Anthol. v. I. p. I. pag. 375. sqq. et apud Davisium ad Cic. Tusc. Qu. V. XXXV. Vaticanus quidem Anthologiæ codex non tres posteriores, sed, vt nunc didicimus, duos habet, eosque tamquam ἀδέσποτον, quartum et quintum. Atque hi creberrime laudantur, et in

prouerbium abierunt. Eos a Stephano Byzantino quoque afferri video, in v. *Ἀγχιάλη*. Tum excitatis a Iacobsio et Dauisio scriptoribus adde Polybium in excerptis lib. VIII. cap. XII. ed. Schweigh. t. III. pag. 30. Et qui eosdem respexit, Nicetam Acominatum Chon. in Andronico Comneno lib. II. pag. 170. A. ed. Ven. pag. 206. Paris. his verbis: *ἔχαιρέ τε κατὰ Σαρδανάπαλον ταῖς ἀνέσεσιν, ὃς τόσσ' ἔχειν, ὅσσ' ἔφαγε, καὶ ἐφύβρισε, τῷ ἐπιταφίῳ ἐνεκόλαπτε γράμματι.* Cuiusmodi plura fortasse inveniet apud scriptores recentiores, qui operam dare velit. Nobis addidisse sufficiet Eustathium ad Il. IX. 483. et XXI. 76. et Odyss. II. 315.

Integrum epigramma, certe quinque versus priores, parodia eludere studuit Chrysippus ap. Athenæum p. 337. A. Versum quartum et quintum simili ratione Crates apud Plutarchum et Diogenem Laertium, et in Anthologia t. I. p. 187. Brunk.

Quum versus sint elegantes, et nobili quadam, si quid in hoc philosophiæ genere potest nobile esse, simplicitate scripti, et Choerilo nostro omnino digni: nos ea nunc retinet quæstio, vtrum illud sit Choerili, nec ne, et cuius Choerili. Quam vellem diligentius excussissent viri docti. Eam plane intactam reliquit, qui omnium fortasse longissime de Sardanapali monumentis et inscriptionibus scripsit, Buherius in dissertatione de Sardanapalo, quam primum animaduersionibus ad Ciceronis Tusculanas annexam deinde repetiit in dissertationibus Herodoteis, gallice editis Diuione 1746. cap. XXI. pag. 213. sqq. Ex ea ego, quæ ad rem nostram bene faciunt, enotabo, omissis iis, quæ partim manifesto falsa, partim a nostro consilio sunt aliena.

Nimirum, vt paullo longius disputationis initium capessam, duo fuerunt, quantum ex Athenæo maxime XII. p. 529. sq. apparet, Sardanapali monumenta, duæque inscriptiones. Vnum, sepulcrum, in vrbe Nino, vel vt animaduertit Schweighæuserus tom. VI. p. 422.

prope Ninum, cum ea inscriptione, quam ex chaldaico sermone in orationem prosam translatam habet Athenæus loco laudato, et versibus græcis quinque vel sex vel septem expressisse perhibetur Choerilus. Alterum monumentum ad Anchialen siue Anchialum, *ἐγγὺς τῶν τειχῶν τῆς Ἀγχιάλου*, quæ Arriani verba II. V. pag. 266. Gron. cum statua Sardanapali et breuiore inscriptione hac, assyricis litteris concepta:

Σαρδανάπαλος Ἀνακυνδαράξεω παῖς Ἀγχιάλην καὶ Ταρσὸν ἔδειμεν ἡμέρῃ μιῇ. ἔσθιε, πῖνε, παῖζε· ὡς τἄλλα τούτου οὐκ ἄξια.

Sic hoc Athenæus. Alii aliter. Quam varietatem nunc prætereo. Hanc inscriptionem ab illa longiore non omnes probe distinxerunt. Stephanus Byz. in v. *Ἀγχιάλη* a Sardanapalo conditas esse dicit Anchialen cum Tarso: *οὗ ἐστι καὶ τὸ ἐπίγραμμα ὧδε·*

Ταῦτ᾽ ἔχω, ὅσσ᾽ ἔφαγον — λέλειπται.

deinde statim subiungit alteram inscriptionem, quasi eadem sit: *Σαρδανάπαλος ὁ Ἀνακυνδαράξεω παῖς* etc. Hanc ego confusionem vel inde ortam, quod grammaticus aliquis notos versiculos, *ταῦτ᾽ ἔχω, ὅσσ᾽* etc. serius appinxisset, vel ei, qui hanc epitomen fecit, tribuendam censeo. Stephanus Byzantinus ipse haud dubie scripserat: *οὗ ἐστι καὶ τὸ ἐπίγραμμα ὧδε· Σαρδανάπαλος ὁ Α. παῖς* etc. Versiculos illos Stephanus vel plane non commemorauerat, vel secundo loco, post breuiorem inscriptionem, posuerat, admonito lectore, diuersas esse inscriptiones. Quamquam vel sic dubium manet, an non satis accurate vtramque distinxerit Stephanus. Fortasse non nisi interprete græco diuersas esse credidit, quum tamen etiam loco diuersæ fuerint. Strabo quoque l. l. vbi de Anchiale agit, vtrumque epigramma sine distinctione apponit, quasi vnum idemque sit. Quod ibi et Casaubonum male habet, etsi hic quum hoc loco, tum ad Athenæum Anim. p. 583. sq. in eo errore versatur, vt

vtramque inscriptionem ad idem monumentum pertinuisse, et in assyrico archetypo vnam fuisse opinetur. Sed Straboni ego infra opem feram. Laborat enim, et eadem fere ratione, qua Stephanus, adiuuandus est. Iam vero, qui cardo et finis est huius disputationis, Heynii sententia est non inanis, ad Apollodori fr. pag. 1081. inscriptionem eam, quam breuiorem dixi, per Alexandri demum comites, Clitarchum et Aristobulum, innotuisse. Aristobulum solum nominare debuerat, omisso Clitarcho: v. Gronouium ad Arrian. l. l. p. 67. disputantem contra Casaubonum. Quæ Heynii sententia si etiam ad longius epigramma, sepulcrale, Nini conseruatum, a Choerilo expressum, pertinet, non poterit antiquus ille Choerilus Samius intelligi, sed Choerilus Iasensis, Alexandri comes. Atque hunc intellexit Freinshemius in catalogo scriptorum historiæ de Alexandro, quem Curtio præfixit: *Huius Choerili videntur esse versus, quibus epitaphium Sardanapali includitur, qui exstant apud Athenæum* XII. VII. Et Obsopoeus ad Anthol. Gr. pag. 315. ed. Wechel. *Epitaphium Sardanapali regis Assyriorum, mollissimi et effoeminatissimi, quod a Choerilo poeta Alexandri magni tempore scriptum nonnulli suspicantur. Qua in sententia etiam Athenæum esse video.* Alii hac quidem de re sententiam non declarauerunt suam: Choerilum auctorem nominant, intelligentes, vt videtur, Samium; Charilum A. Schottus ad Adagia Græcorum pag. 312.

Verum etiam hoc quæritur, vtrum versus illi omnino recte præ se ferant Choerili nomen, siue antiquior is fuerit, siue recentior; an alius scriptoris sint. Nam ne id quidem, Choerili esse, tam certum est, quam credidisse videntur viri docti.

Choerilo tribuuntur in Anthologia Græca Brunkii. In Brodæi editione pag. 299. et Stephani pag. 217. et in Wecheliana p. 315. præscriptum est: *Εἰς Σαρδανάπαλον,*

sine auctoris nomine. Vaticanus liber, qui duos versus habet, pag. 399. ex nuperrima editione: *Ἀδέσποτον. εἰς τὸν Σαρδανάπαλλον.* Omnino Brunkius ex Athenæo intulit Choerili nomen. At ne ab Athenæo quidem ita tribuuntur Choerilo, vt nulla dubitatio relinquatur. Res hæc est. Athenæus, priore loco, lib. VIII. pag. 336. A. versus ipsos apponit, auctore non nominato, hoc tantum monens; *ἐφ' οὗ τοῦ τάφου ἐπιγεγράφθαι φησὶ Χρύσιππος τάδε·* Altero loco, pag. 529. 530. ex Amyntæ libro inscriptionem profert bene longam, in prosam orationem græcam e chaldaico sermone translatam, quæ sic incipit: *Ἐγὼ δὲ ἐβασίλευσα, καὶ ἄχρι ἑώρων* etc. quam metricam fecerit, Amynta testante, Choerilus: *ὃ μετενεγκεῖν Χοιρίλον ἔμμετρον ποιήσαντα.* Sed hanc metricam interpretationem ibi non addit. Hinc non ardua fuit res, coniicere, vt coniecerunt viri eruditi, eos ipsos versus, quos supra lib. VIII. apposuisset Athenæus, esse metricam illam inscriptionem, a Choerilo factam. At enimuero fatendum est, hos versus et inscriptionem prosa oratione enunciatam ab Athenæo p. 529. sq. non ita sibi similes esse, vt illi necessario huius interpretatio videri debeant. Iudicet lector.

> *Ἐγὼ δὲ ἐβασίλευσα, καὶ ἄχρι ἑώρων τοῦ ἡλίου φῶς, ἔπιον, ἔφαγον, ἠφροδισίασα, εἰδὼς τόν τε χρόνον ὄντα βραχὺν, ὃν ζῶσιν οἱ ἄνθρωποι, καὶ τοῦτον πολλὰς ἔχοντα μεταβολὰς καὶ κακοπαθείας· καὶ ὧν ἂν καταλίπω ἀγαθῶν, ἄλλοι ἕξουσι τὰς ἀπολαύσεις. διὸ κἀγὼ ἡμέραν οὐδεμίαν παρέλιπον τοῦτο ποιῶν.*

Comparet hæc aliquis cum versibus illis, et valde diversa esse fatebitur. Augetur dubitatio, si alios scriptores audimus. Diodorus, vbi versus istos laudat, barbarico sermone scriptos dicit a Sardanapalo, et inde expressos, *μεθερμηνευθέν, ab homine Græco, ὑπό τινος Ἕλληνος.* Quin, quod maxime notabile est, Strabo l. l. vbi eosdem laudat, addit non hoc: *quorum auctor est*

Choerilus, sed: Μέμνηται δὲ καὶ Χοιρίλος τούτων. Hæc omnia qui perpenderit, non inepte colligat, *tria* fuisse inter Græcos epigrammata Sardanapali: vnum, quod breuius appellaui, in monumento Anchialeo; alterum e sepulcro apud Ninum, a Choerilo factum, cuius nunc nihil præter paraphrasin prosa oratione scriptam apud Athenæum exstet; tertium ex eodem sepulcro, sed liberius expressum ab ignoto auctore, his versibus, qui etiamnum exstant: Εὖ εἰδὼς ὅτι θνητὸς ἔφυς etc. Atque fuerunt, qui ita iudicarent. Menagius ad Diog. Laert. lib. VI. pag. 261. postquam ex Strabone nostrum epigramma apposuit, sic pergit: *Choerilus illud Epigramma versibus aliis expresserat, quos habes apud Athenæum l.* XII. *c. 7.* Voluit dicere, eorum versuum paraphrasin haberi apud Athenæum.

Equidem has dubitationes non eo consilio moui, vt Menagii opinionem meam facerem: qui ipse duas tantum, vt dixi, inscriptiones græcas fuisse putem, et versus eos, quos supra apposui, Choerilo, quæ vulgaris est opinio, tribuam. Sed scripsi hæc, vt ostenderem, quam leuibus interdum incertisque testimoniis, in hac, quam perpessa sunt auctorum veterum scripta, ruina, opiniones nitantur vulgares et ab omnibus secure repetitæ. Neque vero mirum, si in iis potissimum rebus dubitationi locus detur, quæ antiquitati notissimæ et celebratissimæ fuerint. Nam de his eam ipsam ob caussam, quod olim notæ fuerunt, obscure nonnumquam, breuiter, et parum accurate loquuntur, qui nobis supersunt scriptores.

Itaque Choerili esse nostrum epigramma, duorum testium auctoritate constat: Athenæi et Strabonis. Additurus eram Planudem, si constaret, Planudeæ Anthologiæ codices habere Choerili nomen. Verum hoc, vt paullo ante monui, Brunkius demum intulit in Anthologiam. Quamquam non negauerim, Planudem in hac opinione fuisse, vt epigrammatis auctorem habe-

ret Choerilum. Potuit enim hoc didicisse ex Strabonis loco mox laudando, in quem eiusdem Planudæ excerpta exstant, vt docemur a Tzschuckio. De Athenæo breuis erit disputatio, quo earum vis difficultatum, quas ipse excitaui, retundatur; de Strabone paullo dicendum erit accuratius et longius. Ac primum, si quo alio in carmine, accidere potuit in hoc epigrammate, vt auctorem vel obliuiscerentur scriptores recentiores, vel nominare supersederent. Sic fieri solet, vbi carmen aliquod, vel versus, in prouerbium abiit. Choerili Samii versum vidimus celebratissimum,

πέτρην κοιλαίνει ῥανὶς ὕδατος ἐνδελεχείῃ:

quem Choerilo vnus vindicat grammaticus ex longe recentioribus, Simplicius. Quid igitur mirum, si illorum maxime versuum, qui ex toto epigrammate fuerunt tritissimi, auctor incertus visus est multis? Quod ad Athenæum attinet, verum quidem est, a Sardanapali inscriptione ea, quam ex Amynta ille seruauit, nostrum epigramma, verba si spectes, plurimum differre: sed quis est, qui a poeta græco interpretationem barbarici epigrammatis quasi pedissequam et verbis adhærentem exspectet? ac sensum mentemque si consideres, quænam accuratior eademque elegantior fingi possit paraphrasis? In qua etiam hoc non reprehendendum, sed laudandum, quod de suo poeta græcus adiecerit admonitionem ad viatorem: *Εὖ εἰδὼς ὅτι θνητὸς ἔφυς.* De qua in archetypo nihil, in quo Sardanapalus ea omnia de se prædicat. Hoc bono consilio ex altera inscriptione, Anchialea, adsciuit Choerilus. Strabonis, quod paullo ante monstraui, verba, vt vulgo leguntur pag. 989. Almel. vel pag. 693. sq. t. V. ed. Tzschuck. tantum absunt, vt probent, id quod volo, epigrammatis auctorem fuisse Choerilum: vt probent, auctorem non fuisse Choerilum. At enimuero Strabonis locus perturbatus est. Vulgata ferri nullo modo potest. In qua hoc incredi-

bile, Strabonem vtramque inscriptionem, et eam, quæ prosa oratione scripta, breuiorem, et metricam, vnam post alteram sine omni distinctione appositurum fuisse. Sensit hoc Casaubonus, cui verba quædam desiderari videntur. Quod nec probabile, nec, si ita rem instituas, vt ego facturus sum, necessarium. Veritas suboluit Buherio l. l. p. 225. Nec sane occulta est. Sed certum auxilium ferunt Tzschuckii codices, quorum in toto Strabonis loco mira est lectionis varietas. Qua etiamsi vti noluit Tzschuckius, at clarius tamen disponere eam debuerat. Quantum video, duæ sunt codicum classes. Vna eorum, qui post inscriptionem breuiorem, Anchialeam, statim subministrant hæc:

Μέμνηται δὲ καὶ Χοιρίλος τούτων· καὶ δὴ καὶ περιφέρεται τὰ ἔπη ταυτί· ταῦτ᾽ ἔχω — λέλειπται.

sex illis versibus prorsus omissis. Sic Venetus II. Mosquensis, et Paris. qui tamen illos in margine positos habet. Altera eorum, qui post inscriptionem istam breviorem pergunt sic:

Μέμνηται δὲ καὶ Χοιρίλος τούτων· Εὖ εἰδὼς — τερπόμενος — καὶ γὰρ ἐγὼ — ταῦτ᾽ ἔχω — τέρπν᾽ ἔπαθον· τὰ δὲ πολλὰ καὶ ὄ. κ. λέλειπται.

omisso versu 6. et omissis iis, quæ sequuntur in vulgata: *καὶ δὴ καὶ π. τὰ ἔπη ταυτί· ταῦτ᾽ ἔχω — λέλειπται.* Sic Mediceus III. Hinc efficitur, quod fuit a manu Strabonis. Qui ita scripsit: *Μέμνηται δὲ καὶ Χοιρίλος τούτων* (id est, *harum rerum*)· *Εὖ εἰδὼς ὅτι* et qui sequuntur sex aut quinque versus. Vt perspicue et diserte significet, illud epigramma esse Choerili. Deinde sic pergebat: *καὶ δὴ καὶ περιφέρεται τὰ ἔπη ταυτί· Ταῦτ᾽ ἔχω — τέρπν᾽ ἔπαθον — λέλειπται.* Iam ortæ sunt turbæ, quum librarii, repetitione duorum versuum, *Ταῦτ᾽ ἔχω — τέρπν᾽ ἔπαθον* — quæ sane mira, offensi, vnus hos duos tantum versus scriberet, integrum epigramma omitteret, alter hoc poneret, illos duos omitteret. Hinc factum,

vt in codicibus iis, ex quibus fluxit vulgata lectio, hæc verba: *μέμνηται δὲ καὶ X. τούτων*, locum obtinerent non suum. Hinc et id, quod illa: *ὡς τἄλλα τούτου οὐκ ἄξια· τοῦ ἀποκροτήματος*, in vulgata ante Casaubonum, loco alieno inserta legebantur. Quæ nunc, erutis et dispositis antiquorum codicum lectionibus, sponte sedem recuperant suam, quæ est inter hæc: *ἔσθιε, πῖνε, παῖζε·* et hæc: *Μέμνηται δὲ καὶ X. τούτων*. In aliis tamen libris prorsus illa desiderari videntur. Non habet Guarini, quam supra commemoraui, interpretatio latina. In qua ita concinnatus est locus:

— *quidam dicunt ibi Epigramma esse: Assyriis litteris insculptum huiusmodi Sardanapalus Anacindaraxis filius: Anchialem et Tarsum vna die condidit: ede bibe lude. et*

Cum te mortalem noris: presentibus exple
Deliciis animum: post mortem nulla voluptas.
Nanque ego sum puluis: qui nuper tanta tenebam.
Hæc habeo quæ edi: quæ exaturata libido
Hausit. at illa manent multa: et præclara: relicta.
Hoc sapiens vitæ mortalibus est documentum.

Choerilus horum meminit: atque hi versus circunfecerunt (voluit: *circunferuntur*).

Hæc habeo quæ edi: quæque exaturata libido
Hausit: at illa manent: multa et præclara relicta.

Vulgatam habuit in suo codice Guarinus, sed non habuit verba: *ὡς τἄλλα τούτου οὐκ ἄξια· τοῦ ἀποκροτήματος*. Et post *lude*, duo epigrammata distincturus, de suo adiecit particulam *et*. Cæterum, quod iam monui de Stephano Byzantino, id etiam in Strabone dubium manet, an is non distinxerit duo epigrammata diuersa.

Vtrumque retulisse videtur ad monumentum Anchialeum, quum tamen poetica Choerili inscriptio ad monumentum Sardanapali sepulcrale, quod Nini fuerat, pertineat.

Perueni ad caput huius disputationis vltimum, quod versatur circa eam quaestionem, vtrius Choerili sit epigramma. Qua ita perfungar, vt primo apponam ea, quae pro Choerilo Iasensi loquuntur argumenta. Quae si cui per se singula infirma videantur, at coniuncta aliquam vim habent. Deinde a me commemorabitur id, quod pugnat pro Choerilo Samio. Quae omnia accessum patefacient ad viam quamdam mediam, qua vna impeditissimum hunc nodum solui posse mihi persuasi. Scindere facile est. Prima ratio, cur Choerilo Iasensi vindicemus hos versus, ea est, quam supra adhibui, viam monstrante Heynio. Quodsi ne Anchialeam quidem inscriptionem Graeci compertam habuerunt ante Alexandrum Magnum, multo minus credibile est, eam, quae Nini fuisset, Herodoti et Choerili Samii aetate vulgatam fuisse in Graecia. Ex omnibus scriptoribus vnus Athenaeus fontem, vnde sumpserit versus illos, indicat. Verum neque Chrysippus, ex quo eos descripsit Athenaeus, neque Amyntas, quo teste eosdem Choerilo adscribit, ante Alexandrum Magnum fuerunt. Chrysippum Alexandro posteriorem fuisse constat. Amyntas Alexandro et Choerilo certe non antiquior fuit. Addendus est enim, nisi fallor, scriptoribus historiae Alexandri; cuius fortasse et comes fuit: ita vt Choerili versus ab ipso Choerilo accipere potuerit. Strabo quidem, quum dicit: *μέμνηται δὲ καὶ Χοιρίλος τούτων*, dubium est, vtrum Choerilum de duobus intellexerit, et fortasse voluit celebrem illum Samium. Sed in Athenaeo hoc non est de nihilo, quod hic *Χοιρίλον* dicit simpliciter, quum Choerilo Samio cognomen aliquod addere soleat a munere et dignitate: *Χοιρίλος ὁ ἐποποιός*, lib. XI. pag. 464. *Χοιρίλον τὸν ποιητήν*, lib. VIII. p. 345.

Deinde consideranda sunt Diodori verba: μεθερμηνευθὲν ὑπό τινος Ἕλληνος. Quæ, siue notum habuerit versuum auctorem Diodorus, siue non habuerit, melius conueniunt in Choerilum Iasensem, quam in celebrem illum Samium. Sed Choerilum istum indicare voluisse videtur Diodorus. Omnino si hunc Choerilum accipimus, clarissime apparet, quo modo acciderit, vt plerique scriptores auctorem epigrammatis vel ignorauerint vel ignorare voluerint. Malo poetæ si quando carmen bonum exciderit, id maiorem celebritatem nanciscitur, quam poeta ipse. Hunc obliuiscimur; illud canimus, laudamus. Denique in ipso epigrammate, si nihil aliud Choerilo Samio indignum, certe vna licentia est, Choerili recentioris, quam illius, æuo conuenientior. Hoc dico, quod ante θνητός correptionem admisit poeta.

His accedit argumentum plane mirum et inexspectatum. Mirum enim videri debet, si casus ita tulerit, vt in quæstione tam obscura lucem præbeat scriptoris animaduersio latini et recentissimi, eaque ipsa et obiter facta et adhuc obscurissima. Ita tamen est, nisi coniectura me fallit. Porphyrionis vidimus locum, quum de Choerilo Iasensi agebamus: vidimus et mirati sumus. Qui ad Horat. Art. 357. de hoc Choerilo loquens: *Huius*, inquit, *omnino septem versus laudabantur*. Sic editiones Venetæ a. 1490. et 1492. cum Ascensiana; Mediolanensis a. 1512. inepte et mendose: *ludebantur*. Commentator Cruquii: *Choerilus, qui gesta Alexandri describens, septem tantum versus laudabiles fecit.* Hoc quidem, quod commentator Cruquianus, prorsus absurdum et antea a me explosum: Choerili in epico carmine longiore septem tantum fuisse versus laudabiles. Carmen illud de rebus gestis Alexandri, si vmquam fuit, aut totum malum fuit, aut plures habuit versus laudabiles, non septem. Contra, si Porphyrio, quod nunc statuo, intellexit Choerili in

Sardanapalum epigramma, sensum habent et fortasse vera sunt, quæ dicit: *Huius omnino septem versus laudabantur.* Nam hoc accidere potest, vt poeta alias malus et infelix, semel epigramma faciat rotundum, absolutum, et quod omnium suffragio approbetur. Esse autem auctores, apud quos *septem* versus contineat Choerili epigramma, dictum est et dicetur mox explicatius. Bene factum est igitur, vt ex omni Choerili poesi ii ipsi versus, et soli, ad nos peruenerint, qui, si vera tradidit Porphyrio, omnium optimi essent. Certe equidem, præter hos versus, ne vnum quidem inueni inter eos, qui Choerili nomine inscripti ad nos peruenerunt, quem Choerilo Iasensi, quam Samio tribuere malim. Quod moneo contra Dan. Heinsium, qui hæc scribit, Choerilum istum vindicaturus contra Scaligernm, de sat. Hor. p. 270. sq. *Et profecto adducuntur ab antiquis versus Choerili non pauci, nec monetæ eiusdem. Quorum nonnulli forte ab Horatiano illo sint conscripti.* Non dicit, qui illi sint versus: neque alios, spero, Choerili versus habuit Heinsius, præter eos, quos ego proposui.

Cæterum, si hæc recte conieci, Porphyrio is, quem nos habemus, non ipse Choerili epigramma inspexit, sed ex alio notam suam descripsit. Is vero ex aliquo grammatico græco hauserit, apud quem illud septem versus continebat. Vix est quod moneam, hæc solum ad Porphyrionem pertinere. Horatius, quum Choerilum *bis terue bonum* dicit, maius aliquod istius hominis poema respexit: fortasse, vt dicam aliquid, Lamiaca.

Postremo id obseruatione dignum est, qua ratione *laudabiles* versus dixerit Porphyrio. Nam argumentum et sententiam versuum communi consensu carpunt et detestantur scriptores quum antiqui, tum recentiores et christiani. At tenendum est hoc. *Septem* versus dicit Porphyrio. Igitur Porphyrio vel hoc, quod legitur

apud Athenæum, vel illud, quod apud scholiastam Aristophanis, agnoscebat additamentum: quo vtroque lasciua priorum versuum sententia euertitur et corrigitur. Præterea versus etiam priores ab arte *laudabiles* videbantur. Alioquin illa reprehensio Sardanapalum tangit, non Choerilum. Multus de ea est Buherius pag. 228. qui in eo fallitur, quod aliquam culpæ partem a Sardanapalo in Choerilum conferre studet.

Hæc habui, quibus ostenderem, Choerilum hic intelligendum esse Iasensem. At enimuero obloquitur vnus, sed locupletissimus testis. Si enim ex Cicerone, de Finib. II. XXXII. Tusc. V. XXXV. constat, iam Aristoteli lectos fuisse versus illos, necessario inde sequi videtur, eorum auctorem esse Choerilum Samium, non Choerilum Iasensem. Etenim ea fuit inter Aristotelem et Choerilum Alexandri temporis locique ratio, vt vix vllum inter illos commercium esse potuerit. Quam rem exposui ad Aristotelis locum ex Topicis. Prorsus vt multa miro modo fingi debeant, si statuere velis, Choerili illius versus in notitiam Aristotelis venisse. Itaque, si quis propter Aristotelem Choerilo Samio tribuere velit epigramma, certe non faciet sine auctoritate. Mihi tamen, vt in omnia alia discedendum putem, persuaserunt partim ea argumenta, quæ pro Choerilo Iasensi pugnare antea admonui, partim alia quædam, nunc breuiter proponenda. Quæ inter se composita et coniuncta eam vim habebunt, vt epigramma, quale supra apposui, sic a Choerilo Iasensi scriptum esse, nec tamen ei totum tribuendum esse appareat.

Nimirum, quod ante omnia tenendum, ex Cicerone non hoc efficitur, vt integrum epigramma notum habuerit Aristoteles, sed tantum hoc, vt eos versus, qui nunc quartus et quintus. Eosque solos latino carmine expressit Cicero. Porro etiam alios scriptores si spectes, tam multi sunt, qui hos duos versus vel exhibent vel digito monstrant, reliquis omissis, vt mirum videri de-

beat. Duos Stephanus Byzantinus, Dio Chrysostomus, et Vaticanæ Anthologiæ auctor; duos Polybius, Plutarchus binis locis, Suidas, Eustathius binis locis; nec nisi hos duos parodia reddidit Crates. Hinc dubitatio nascitur, an multi hos tantum versus pro antiquis et genuinis habuerint, integrum autem epigramma vel ignorauerint vel non agnouerint. Eam vero suspicionem egregie confirmat Strabo, cuius lectionem quum supra expediuerim, hic eam difficultatem, quæ vna reliqua, explicabo. Strabo postquam integrum Choerili epigramma apposuit, hæc addit: *καὶ δὴ καὶ περιφέρεται τὰ ἔπη ταυτί,* et versus quartum quintumque repetit. Quæ repetitio, valde mira, tam male habuit Brissonium de regio Persarum principatu lib. I. pag. 332. ed. Lederlin. vt ea *abundare* diceret. Quæ defendens Tzschuckius: *videtur*, inquit, *Strabo innuere, exclusis reliquis, duos tantum hos versus vulgo ferri.* Recte. Modo clarius hoc explicuisset Tzschuckius. Hoc sibi voluit Strabo: duos illos versus etiam extra Choerili epigramma exstare et circumferri, ignoto auctore. Hæc de Strabone, quæ mox clariora fient. Epigramma ipsum si spectemus, quum in prioribus versibus non valde singularis lectionis sit varietas, at in quarto et quinto, vt sextum nunc mittam, prorsus admirabilis est discrepantia. In his quædam auctorum negligentiæ tribuenda esse videntur: veluti quod *τόσσ'* exhibent quidam pro *ταῦτ'*, et *ἐρώτων* quidam pro *ἔρωτος*. Alia perperam illata sunt ex Cratetis parodia: *ἐδάην*, vt in Anthologia, pro *ἔπαθον*; et quod in Anthologia Vaticana: *τάφος* (*τῦφος*) *ἔμαρψε*. At quæ Athenæus habet ex Chrysippo:

κεῖν' ἔχω — σὺν ἔρωτι — πάντα λέλυνται,

tam vehementer discrepant a lectione cæterorum scriptorum omnium, vt ex alio ea fonte hausta esse oporteat, quam ex quo cæteri sua hauserint. Qua in re hoc etiam obseruari velim, quam graui auctoritate nitatur

illa Athenæi lectio: nimirum Chrysippi, ex quo hæc descripsit Athenæus. Et ne a Chrysippo demum illam aliquis illatam existimet, comparetur parodia Chrysippi, in qua eam lectionem expressam videbis, quæ est apud cæteros, præter Athenæum, scriptores. Nam sic parodia:

ταῦτ' — μετὰ τούτων — λέλειπται.

Iam quonam hæc omnia tendant, sentiunt, puto, periti. Vna est ratio, qua testimonia et indicia scriptorum tantopere titubantia et repugnantia inter se concilientur ac firmentur. Dicam quid rei sit. Versus hi:

Ταῦτ' ἔχω, ὅσσ' ἔφαγον καὶ ἐφύβρισα, καὶ μετ' ἔρωτος
τέρπν' ἔπαθον· τὰ δὲ πολλὰ καὶ ὄλβια κεῖνα λέλειπται

facti a poeta nescio quo, qui de inscriptione Sardanapali sepulcrali aliquid cognouisset, sed cuius nomen mature in obliuionem abiisse videtur, iam ante Aristotelem in Græcia ferebantur. Quam diu ante Aristotelem, non dixerim. Sed mature Sardanapalus innotuerat Græcis. Herodotum in Assyriorum libris vberiorem Sardanapali mentionem fecisse, probabili coniectura statuit Wesselingius ad Herod. II. 150. p. 177. Quamquam dubito, an numquam diuulgati fuerint hi libri. Taceo Hellanicum, Ctesiam, Aristotelem ipsum Polit. lib. V. c. X. Certe Aristophanis ætate in prouerbio fuit Sardanapali nomen. Qui deinde inscriptionem Sardanapali sepulcralem integram cognouit et græcis versibus expressit, Choerilus Iasensis, Alexandri comes, illos ignoti auctoris versus in epigramma suum recepit, sed paullulum immutatos, vt suos fecisse videretur, hunc in modum:

Κεῖν' ἔχω, ὅσσ' ἔφαγον καὶ ἐφύβρισα, καὶ σὺν ἔρωτι
τέρπν' ἔπαθον· τὰ δὲ πολλὰ καὶ ὄλβια πάντα λέλυνται.

Quam Choerili scripturam vnus nobis seruauit ex Chrysippo Athenæus. Gratior mansit et vsitatior, vt par-

erat, antiqua incerti auctoris scriptura. Cicero quidem, quum ex Chrysippo integrum Choerili epigramma vertere et apponere potuisset, maluit ex Aristotele duos versus, breuitatis studio, et quod antiquiorem testem recentiori, antiquiores versus versibus Choerileis præferret. Nam antiquam incerti auctoris scripturam ante oculos fuisse Ciceroni, liquet ex eius interpretatione:

— *at illa iacent multa et præclara relicta.*

Quid? quod eamdem, vt paullo ante animaduerti, etiam Chrysippus in parodia sua expressit. Qui quum in prioribus versibus accurate sequutus esset Choerili manum, in vltimis duobus, Choerili scriptura relicta, ad manum incerti auctoris reuertit. Vnum, πάντα, retinuit in fine versus, pro antiqua lectione κεῖνα. Sic Crates quoque in parodia: ταῦτ᾽ — μετά. Nec dubitari potest, quin idem κεῖνα λέλειπται legerit, quamquam hæc longe alio modo extulit in parodia. Et sic, qui hos duos versus, prioribus exclusis, seorsum exhibent, omnes antiquam incerti auctoris manum referunt: ταῦτ᾽ — μετ᾽ ἔρωτος — κεῖνα λέλειπται: si paucorum quorumdam in singulis aberrationem excipias, de qua mox ita dicetur, vt simul diuersas eius caussas et originem explicem. Verum hoc maxime memorabile, quod etiam ii, qui integrum exhibent epigramma, solo Athenæo excepto, in his duobus versibus non Choerili, quod exspectes, lectiones

κεῖν᾽ ἔχω — σὺν ἔρωτι — πάντα λέλυνται,

repræsentent, sed antiquas illas:

ταῦτ᾽ ἔχω — μετ᾽ — κεῖνα λέλειπται.

Sic Diodorus cum Tzetza; scholiastes Aristophanis cum Eudocia. Sic qui nunc lucem suam recuperauit, Strabo. Hic enim, quum probe discerneret epigramma Choerili integrum et duos versus, etiam sine Choerili nomine circumferri solitos, in epigrammate Choerili integro

eam scripturam exhibere debuerat, quæ esset Choerilea: κεῖν' ἔχω — σὺν ἔρωτι — πάντα λέλυνται. Quod tamen non fecit. Ita vt hinc quoque manifesto documento eluceat, interpolationem antiquorum versuum Choerileam mature in obliuionem abiisse, et Choerilo inuito in ipsum eius epigramma rediisse antiquam scripturam: ταῦτ' ἔχω — μετ' ἔρωτος — κεῖνα λέλειπται.

Nobis tamen, in Choerilo versantibus, ex Athenæo Choerili scriptura reponenda fuit.

Hic vero, antequam longius procedam, aliquantisper consistendum esse puto in Cratetis Chrysippique versibus, qui facti sunt ad parodiam Sardanapali. Quippe hos explicare, et quo modo duo idem peregerint, comparando perscrutari, quum omnino operæ pretium futurum sit et res non ingrata: tum ea comparatio præclaro exemplo illustrabit, quæ antea disputata sunt. Quemadmodum enim Choerilus hoc sibi sumpsit, vt antiquiores versus interpolando suos faceret, simillima ita ratione Chrysippus Cratetis versus passim mutatos suo carmini inseruit. Tum vero vt Choerili fraus vsque ad hunc diem latuit, ita fuerunt etiam, qui ambigerent, vtrum Cratetis illa parodia an Chrysippi esset: quum tamen auctorum testimonia et lectionis varietas demonstrent, duplicem esse parodiæ editionem, vnam Cratetis, alteram Chrysippi. Ac Cratetis quidem parodiam quod attinet, etiam alius error olim obtinuit. In Cratetem enim, non a Cratete scriptam esse existimauerunt. Veteres Anthologiæ editiones, Brodæi pag. 399. Stephani pag. 288. et Wecheliana pag. 426. hanc habent inscriptionem: *Εἰς Κράτητα, ὁμοιόπτωτον τῷ εἰς Σαρδανάπαλον.* Quibus hæc addita habet in margine Wecheliana: *ἐν ἄλλοις βιβλίοις εὑρίσκεται μόνον εἰς Κράτητα ἐκτυπωθὲν, καὶ χειρὶ γεγραμμένον, τὸν θυρεπανοίκτην. σημαίνεται δὲ καὶ εἶναι Χρυσίππου.* At Stephanus in annotationibus: *sunt qui non εἰς κράτητα sed κράτητος hos versus esse scribant.* Quod deinde sequuti

sunt editores. Atque hoc postulant Plutarchus de sui laude p. 546. A. Diogenes Laertius et Vaticanus codex. Intelligendus autem Crates Thebanus. Quod docent idem Diogenes et codex Vaticanus. Itaque Crates Thebanus, quem Olympiade CXIII. floruisse tradit Diogenes Laertius, hoc modo detorserat duos illos, qui tum seorsum ferebantur, versus:

Ταῦτ' ἔχω, ὅσσ' ἔμαθον καὶ ἐφρόντισα, καὶ μετὰ Μουσῶν
σέμν' ἐδάην· τὰ δὲ πολλὰ καὶ ὄλβια τῦφος ἔμαρψεν.

Antiquæ Anthologiæ editiones, Brodæi editio, Stephaniana, Wecheliana, pro *Ταῦτ'* habent *Τόσσ'*. Male. Vaticanus cum Plutarcho et Diogene: *Ταῦτ'*. Corruptionis caussam et originem infra docebo. In fine Brodæus, Stephanus, et Wecheliana: *τύμβος*. Sed *τῦφος* ex Diogene Laertio ipse Stephanus dedit in præfatione ad Matronis et al. parodias pag. 86. et in Parodiis moralibus pag. 159. Vaticanus liber: *τάφος*. Qui postea integrum Choerili carmen parodia extulit, Chrysippus, Cratetis versus recepit, hunc in modum interpolatos:

Ταῦτ' ἔχω, ὅσσ' ἔμαθον καὶ ἐφρόντισα, καὶ μετὰ τούτων
ἔσθλ' ἔπαθον· τὰ δὲ λοιπὰ καὶ ἡδέα πάντα λέλειπται.

In quibus quæ insunt a Cratetis parodia recedentia, pleraque explicari possunt, et cur recesserit Chrysippus, caussa reddi. Ante omnia hoc propositum sibi habuit Chrysippus, vt propius ad antiquum exemplar accederet, quam Crates. Quare *ἔπαθον* retinuit et *λέλειπται*. Quum vero retineret *ἔπαθον*, consequens fuit, vt idem *ἐσθλὰ* scriberet pro eo, quod Crates: *σεμνά*. *Τούτων* scripsit, remotis *Musis*, omnia humanæ disciplinæ et meditationi tribuens. Vt *ἡδέα* diceret, non *ὄλβια*, postulabat vniuersa parodiæ sententia. Quippe Chrysippus Choerili carmen a Sardanapali conditione et dignitate ad communem priuatorum hominum vsum deflexit. Id versus maxime tertius parodiæ declarat. Vbi Schweighæuserus, etsi recte tenet vulgatam scri-

pturam, *κακός*, caussam tamen addere debebat, cur ea necessario præferenda esset coniecturæ Mureti satis speciosæ: *κόνις*. Nimirum Chrysippus in parodia illa sua non mortuum hominem facit loquentem, sed vivum. Dicit, voluptatis fructus eius, quæ ex sensibus percepta esset, relictos iacere omnes: id est, fugitiuam esse et præterire voluptatem. Hoc est: *τὰ δὲ λοιπὰ καὶ ἡδέα πάντα λέλειπται*. Ibi pro *πολλὰ* scripsit *λοιπά*, et Choerilum sequutus *πάντα*, rem enunciaturus fortissime. Quamquam hoc pæne etiam minus placet, quam Choerileum *πολλὰ* — *πάντα*. Post hæc, nisi fallor, intelligitur, quam recte Chrysippo *Μουσῶν* pro *τούτων* restituerit Dauisius ad Cic. Tusc.

Iam hinc ad Choerili carmen reuersurus essem, nisi animum aduertissem in Callimachi versus illos, quos ad Cratetem adscripsit Iacobsius. Ac fortasse laudabor, quod fastidiosam huius disputationis longitudinem degressione aliqua interruperim. Cratetis et Chrysippi sententiam nemo facile venustius exornauit, quam Callimachus fragm. CVI. Quod inter elegiarum reliquias iure posuit Valkenarius pag. 230.

Καὶ γὰρ ἐγὼ τὰ μὲν ὅσσα καρήατι τῆμος ἔδωκα,
Ξάνθε, σὺν εὐόδμοις ἁβρὰ λίπη στεφάνοις,
ἄπνοα πάντ' ἐγένοντο παρὰ χρέος· ὅσσα τ' ὀδόντων
ἔνδοθι, νειαίρην τ' εἰς ἀχάριστον ἔδυ,
καὶ τῶν οὐδὲν ἔμεινεν ἐς αὔριον. ὅσσα δ' ἀκουαῖς
εἰσεθέμην, ἔτι μοι μοῦνα πάρεστι τάδε.

Sic integrum satis et Callimacheum habebitur hoc fragmentum. Versum secundum emendauit Valkenarius. Cf. Brunkius ad gnom. poetas p. 326. Tertium versum sic longo abhinc tempore emendaui. Vulgo legitur: *παραχρῆμ'*. Quod numeris officit. Meliores versus facit Callimachus. Aliud est, et cum hoc non comparandum, Simonideum:

οὐδὲν ἐν ἀνθρώποισι μένει χρῆμ' ἔμπεδον αἰεί,

Deinde παραχρῆμα a poetarum vsu alienum est. Bonum fuit παραχρῆμα, et optimis scriptoribus atticis vsitatum, in prosa quidem oratione: Thucydidi, Platoni, Xenophonti, Isocrati. Et habet Aristoteles. Quod eodem vtuntur Aristophanes in Pluto v. 569. 783. et Cratinus apud Athenæum IV. pag. 164. E. ex eo non colligemus hoc, fuisse vocabulum poeticum, sed potius hoc, fuisse in communi vita non inusitatum. Legitur etiam in cantico mulierum Thesmoph. v. 693. quod carmen tam parum elatum est supra vulgarem sermonem, vt sententiam meam confirmet magis quam euertat. Eadem conditio est Critiæ in elegis ap. Athen. X. pag. 433. A. Melior haud dubie orator quam poeta fuit Critias. Cuius qui leguntur elegi, hoc loco, et apud eumdem Athenæum I. pag. 28. B. et apud Plutarchum in Alcibiade, omnes perquam ieiuni sunt. Aliquanto floridiores sunt, quos in Anacreontem scripsit versus, ap. Athen. XIII. p. 600. D. De Critia tragico quid sentiret, non obscure significauit Valkenarius in Eurip. diatr. p. 14. et p. 209. Itaque hic poeta non habuit, cur recusaret παραχρῆμα dicere in elegis. Inter recentiores scriptores illud frequentat Parthenius in narrationibus amatoriis. Mitto alios. Mox multo vsu tam tritum et tam profligatum visum est vocabulum, vt quoduis aliud magis atticum haberetur. Moeris pag. 48. in v. αὐτοβοεί: — παραχρῆμα, Ἑλληνικῶς. Frequentissimum autem fuit grammaticis et scholiastis. Arati versum 1131.

αὐτήν, ἢ μετὰ τήν, ἢ καὶ τριτάτην ἔτ' ἐς ἠῶ,

ita interpretatur scholiastes: ἢ παραχρῆμα, ἢ περὶ δύο ἡμέρας ἢ τρεῖς. Quod in scholiis ad Apollon. Rhod. IV. 57. sqq. legitur ex codice Parisino: ἅμα τε γὰρ ἔλεγε τὴν θεὸν κατασπᾶν, καὶ συμφοραῖς περιέπιπτεν, id scholiastes olim vulgatus hoc modo effert: ἔφασκε τὴν θεὸν κατασπᾶν, καὶ παραχρῆμα περιέπιπτε συμφοραῖς. Retractaturus eram, quoniam res admonebat, quæ ante aliquot annos nimis

longe et nimis in Natalem Comitem clementer scripsi de Sosiphanis versibus apud schol. Apoll. Rhod. III. 533. sed nolo a degressione degressionem facere. Iis maxime, qui lexica condiderunt, recurrere solet *παραχρῆμα*, vbi voces celeritatis et repentini notionem habentes explicant. Hesychius: *Εὐθύ· — παραχρῆμα*. Nec male hoc. Etymol. M. pag. 391. in v. *εὐθύτης: τὸ δὲ εὐθὺ σημαίνει τὸ καλῶς ὁρμᾷν, τουτέστιν ὀρθῶς· καὶ τὸ παραχρῆμα καὶ τὸ ταχύ*. Et Antiatticista, quem Bekkerus edidit, pag. 96.: *Εὐθύ· ἀντὶ τοῦ εὐθέως*. Porro *παραχρῆμα* Hesychius, Suidas, Etymologus, omnes in v. *αὐτοβοεί*. Item lexicon rhetoricum apud Ruhnken. in auctario emendd. ad Hesychium, et apud Bekkerum p. 214. Quibus omnibus plenius lexicon Bekkeri alterum p. 465. Cf. eosdem grammaticos in v. *αὐτίκα μάλα*, et in v. *αὐτοδάξ*. Qui carmen de viribus herbarum fecit, quum *παραχρῆμα* dicere non dubitaret, necessitatem, quam ea vox heroico versui imponeret, non ægre tulit, sed secundam syllabam constanter corripuit, v. 66. 68. 87. 135. Atque hoc certe lenius et commodius est, quam vltimam in thesi elidere. Eius emendationis, quam reposui in Callimachi fragmento, sponsorem habeo locupletissimum. Nicander Alexiph. v. 626. sq. ed. Schneid. v. 612. ed. vulg.

> *ἤν τε καὶ ἐμπλείουσα χαλικροτέρη πόσις οἴνου*
> *οἴη ἐπαλθήσειε παρὰ χρέος.*

Scholiastes: *χαλικροτέρα δὲ, ἀντὶ τοῦ ἀκρατοτέρα, πόσις οἴνου πολλὴ παραχρῆμα ἰάσαιτο.* Eutecnius apud Schneiderum pag. 292. *ἰᾶται δὲ ὁ οἶνος αὐτὸ ἐκ τοῦ παραχρῆμα. ἀκρατοτέρα* in scholiis edidit Schneiderus: bene, si ex codice. Aldina prior: *ἀκρατοτάτη*, quam lectionem agnoscit Stephanus in thesauro IV. 569. At in Nicandri versu tenendum est *παρὰ χρέος*. Quæ vulgata lectio est, Aldinæ prioris aliarumque editionum. Ad similitudinem dictionis *παραχρῆμα*, quæ proprie *παρὰ χρῆμα*

fuit, *παρὰ χρέος* dicere ausi sunt Callimachus et Nicander. Verum vt hoc ausi sunt, ita non ausi sunt nouum aduerbium *παράχρεος* procudere. Rarissimum est *παρὰ χρέος* hac quidem significatione. Alio sensu *παρὰ χρέος* dixit Antipater Thessalon. XXVI. 1. Antipatrum fortasse respiciebat Suidas in v. *χρέος*. Qui, vt nunc legitur, mutilus esse videtur, hoc fere modo supplendus: *Χρέος. παρὰ χρέος· παρὰ τὸ χρειῶδες* etc. In Nicandri versu hoc quoque mirabile est: *χαλικροτέρη. fortassis per syncopen pro χαλικρατοτέρη*, Stephanus ait in thesauro l. l. Non prorsus male. Certe ego nemini auctor sim, vt nomen *χαλικρός* Nicandro vel alii cuidam poetæ in vsu fuisse dicat. Originem nominis *χαλίκρατος* persequenti occurrit Aeschyli fragmentum pag. 1113. ed. Pau. *Χαλιμάδας* Aeschylus dixit Bacchas. Quam scripturam quum Hesychius, Etymologus in v. *χαλίφρων*, et Eustathius commendent, tum eamdem ipsa illa scholia tuentur, vnde Aeschyleam esse vocem constat. Quod enim in scholiis Apollonii olim vulgatis, inde a Florentina editione, legebatur, *χαλιμίας*, id collata Parisini libri scriptura, *χαλίδας*, antiquam scholiastæ manum, *χαλιμάδας*, monstrat. Præterea in scholiis vulgatis fortasse legendum est *γενέσθαι* pro *λέγεσθαι*. Nec dubito, quin Suidas ita scripserit: *Χαλιμάς. ἡ πόρνη* et quæ seq. *Χάλις, merum*, Atheniensium fuit, vt docet scholiastes Apollonii. Quem ne peruerse accipiat aliquis, recordandum est, et *χαλίκρητον* Archilochum, et Hipponactem dixisse *χάλιν*. Vid. Casaub. in Athen. animaduers. p. 24. Hipponactis versus est in Tzetzæ scholiis ad Lycoph. v. 579. *Ἱππωνάκτειον λέξιν* appellat Tzetzes.

Eo perueni, vt de numero versuum epigrammatis Choerilei dicam. Tum imitatores eius epigrammatis an exstiterint, et qui sint, inquiretur. Quod postquam fecero, de varietate lectionis, quæ quidem nondum explicata fuerit, addam quantum sufficiat.

Vt eos taceam, qui non nisi quartum et quintum

præbent, quod qua ratione factum sit, expositum est; vt Clementem prætercam et Theodoretum, a quibus subiunctum videmus illum, qui in epigrammate est tertius: alii quinque versus laudant; alii sex; sunt, qui septem. Quinque priores, vt dixi, habet Diodorus cum Tzetza. Sextum, quem seclusum ab reliquis exhibui, addunt Anthologia Græca Planudea et Strabo, apud quem tamen ille deest in Mediceo tertio. Eumdem, sed in fine mutatum, et septimum addunt Athenæus, et cum Eudocia scholiastes Aristophanis. Vterque diuerso modo. Scholiastes Aristophanis, Eudocia, et ex Eudocia Phauorinus:

ἥδε σοφὴ βιότοιο παραίνεσις, οὐδέποτ᾽ ἐσθλή·
κεκτήσθω δ᾽ ὁ θέλων σοφίης τὸν ἀπείρονα πλοῦτον.

Talia posuisse est explosisse. Nam tam sunt inepta, vt mentem epigrammatis penitus euertant. Igitur hæc ætatem sapiunt recentiorem et sapientiæ præceptorem importune disertum. Quod autem σοφῷ pro σοφὴ in his versibus legi iubet Buherius pag. 227, fallitur. Sufficit, vt commate interpungatur post παραίνεσις, quod factum video apud Eudociam. Is qui tam bello additamento Choerilum auxit, quum in carmine Choerili scriptum vidisset: ἥδε σοφὴ βιότοιο παραίνεσις — noluit hæc mutare, sed addidit, correctionis caussa: οὐδέποτ᾽ ἐσθλή, et quæ seq. Genuina et bene græca dictio ita se haberet: ἥδε κακὴ — οὐδέ ποτ᾽ ἐσθλή. Vt Archestratus Athenæi VII. p. 313. F. κακὸς ἰχθύς, οὐδέ ποτ᾽ ἐσθλός. Pro ἥδε scholiastes Aristophanis cum Eudocia et Phauor. ἡ δέ. Si vero quæras, vnde nata sit tam foeda interpolatio, manifestum est, istum hominem traduxisse et deflexisse meliores illos et Chrysippi auctoritate confirmatos versus, qui sunt apud Athenæum:

ἥδε σοφὴ βιότοιο παραίνεσις· οὐδέ ποτ᾽ αὐτῆς
λήσομαι· ἐκτήσθω δ᾽ ὁ θέλων τὸν ἀπείρονα χρυσόν.

Quamquam hi quoque difficultate, neque ea leui, pre-

muntur. Hæc quidem: ἐκτήσθω δ' ὁ θέλων τὸν ἀπείρονα χρυσόν, tolerari potuerint. Sed quis ille est, qui dicit: οὐδέ ποτ' αὐτῆς λήσομαι? Sardanapalus certe non est, qui iam mortuum sese finxisset versibus præcedentibus. Igitur neque hæc potuerunt esse in epigrammate Choerili, quod loquentem sistebat Sardanapalum, sed mortuum; vt est in chaldaica inscriptione, quam expressit Choerilus. Sensit fraudem, sed non explicuit Buherius pag. 227. Et vtrumque versum omisit, vbi hoc epitaphium ex Athenæo profert, Mich. Neander in libro, quem Gnomologicum inscripsit. A Chrysippo additos dicit Brissonius de regio Pers. princ. lib. I. p. 332. Recte. Certe hæc:

οὐδέ ποτ' αὐτῆς
λήσομαι· ἐκτήσθω δ' ὁ θέλων τὸν ἀπείρονα χρυσόν,

sunt a Chrysippo. Sed explicandum est, quo ista consilio addita fuerint a Chrysippo. Quod antequam faciam, de alia quadam monebo coniectura, qua hanc difficultatem expedire alicui in mentem veniat. Quam coniecturam, quum speciosa sit, paucis refutare non alienum erit. Etenim dixerit aliquis, hos versus Chrysippi quidem esse, sed ab Athenæo perperam annexos Choerili epigrammati, quum potius in parodia Chrysippi iis locus fuisset. De hac opinione aliquid suboluisse dixeris Obsopoeo ad Anth. Gr. Wechel. p. 316. Ac profecto Chrysippi parodiæ si subiiciantur versus, non male conueniunt. At parum veri simile videtur, Athenæum tam miro modo erraturum fuisse. Et quum probabili ratione demonstrari possit, quonam ista Chrysippus consilio Choerili carmini subiecerit, nescio quid desideremus amplius. Chrysippus, nisi fallor, epigramma Choerili protulit, non reprehensurus Sardanapalum, sed quodam modo laudaturus. Non acsi voluptatum illud studium approbauerit Chrysippus. Verum quum sententia epigrammatis illius primaria hæc

sit, opes et diuitias nihil esse, quæ vera sane et egregia sententia: hoc arripuit philosophus et comprobauit, additis de suo his versibus:

ἥδε σοφὴ βιότοιο παραίνεσις· οὐδέ ποτ' αὐτῆς
λήσομαι· ἐκτήσθω δ' ὁ θέλων τὸν ἀπείρονα χρυσόν.

In quibus postrema, ἐκτήσθω etc. prorsus ex mente Sardanapali dicta sunt. Mox tamen, ne commendare voluisse videretur, quæ nequiora in Sardanapali epigrammate et philosopho indigna, hæc subiecit: κρεῖττον δ' ἂν εἶχεν, εἰ μετελήφθη τὰ ἐπὶ τοῦ Σαρδαναπάλου, οὕτως· Εὖ εἰδὼς etc. In qua parodia non erat, cur duos illos versus, ἥδε σοφὴ βιότοιο etc. repeteret. Poetarum versus passim inseruisse scriptis suis Chrysippum, vel ex Athenæo constat, lib. I. p. 8. D. Sed illa Choerilei epigrammatis amplificatio et eiusdem carminis parodia Chrysippo tamquam auctori vindicanda sunt.

Restat sextus versus, de quo duplici eoque contrario modo statui licet. Versus talis est in Anthologia Plan. et apud Strabonem:

ἥδε σοφὴ βιότοιο παραίνεσις ἀνθρώποισιν.

Quem pro genuino habet Buherius l. l. Ita vt hinc demum nata fuerint ea, quæ modo tractauimus, supplementa siue additamenta:

ἥδε σ. β. π. οὐδέποτ' ἐσθλή —

et quod Chrysippi esse declaraui:

ἥδε σ. β. π. οὐδέ ποτ' αὐτῆς —

Mihi contra ex Chrysippi demum versu ille factus esse videtur, addito in fine vocabulo ἀνθρώποισιν, et omisso altero Chrysippi versu, quem intelligebant in tumulo Sardanapali esse non potuisse. Habent illum versum, vt dixi, Anthologia Planudea et Strabo, sed ne is quidem in omnibus codicibus. Non habet Diodorus; nec Tzetzes. Præterea plane otiosus est, et talis, quem nemo exspectet nisi sententiarum nimius amator. Acce-

dit quod nihil est, quod respondeat, in epigrammate Sardanapali chaldaico, quale cognouimus ex Amynta. Nec tamen recentissimus est, sed fortasse ab iis adiectus, qui primi in Anthologiam intulerunt Choerili epigramma. Itaque Choerilus sic concluserat carmen suum:

— τὰ δὲ πολλὰ καὶ ὄλβια πάντα λέλυνται.

Nunc aptissimo loco inserentur, quæ de hac Sardanapali inscriptione disseruit Henricus Stephanus in præfatione ad Matronis et aliorum parodias. Quem libellum quum sero, et hac mea dissertatione iam absoluta et conscripta, nactus fuissem ex instructissima Schæferi viri præstantissimi bibliotheca, hic seorsum exponere Stephani sententiam, quam semel scripta perturbare, malui. Id quod eo commodius fieri posse videbatur, quo facilius intellexi, in Stephani disputatione, quantumuis illa a nostris rationibus diuersa, nihil esse, cur aliquid de meis retractandum putarem. Nimirum Stephanus hoc caput docte quidem et ingeniose, vt omnia, sed iusto festinantius, nec satis circumspecte tractauit, nec scriptorum omnium omnibus locis et testimoniis ponderatis. Audire iuuat virum magnum, qui quæ hanc in rem attulit, fugerunt Buherium et alios. Laudauit illum Brunkius ad Analecta lect. pag. 34. Itaque eorum, quæ in præfatione illa pag. 86. sqq. disserit Stephanus, a Cratetis parodia exordiens, hæc est summa. Quod primum, eam differentiam, et recte quidem, miratur et taxat, quæ conspicitur in numero versuum. Sex versus esse in Anthologia et apud Strabonem; septimum addi ab Athenæo; Dionem Chrysostomum duos proferre, quartum et quintum, nec plures esse in Cratetis parodia; tres esse, alio quodam ordine, apud Clementem et Theodoretum. Atque hanc scripturam, quæ est apud Clementem et Theodoretum, statim negat germanam esse. Rectissime. Quam ego supra commemorare satis habui: nam manifesta perturbatio est.

Deinde hoc egregie sensit Stephanus, non esse de nihilo, quod sint, qui duos tantum versus proferant, quartum et quintum. Dionem laudat et Cratetis parodiam. Nos vidimus plures. Ad Dionem quidem quod attinet, Stephanus hoc quoque obseruatu dignum esse, scribit, quod duos illos versus *ἐλεγεῖον* appellet. Et profecto hinc apparet, illos seorsum legisse, a reliquis separatos, Dionem Chrysostomum. Sed quod ex hoc Dionis loco et ex Cratetis parodia colligit Stephanus, hoc est. Duo fuisse Sardanapali epitaphia. Vnum hoc:

Εὖ εἰδὼς ὅτι θνητὸς ἔφυς, τὸν θυμὸν ἄεξε
τερπόμενος θαλίῃσι. θανόντι τοι οὔτις ὄνησις.
καὶ γὰρ ἐγὼ σποδός εἰμι, Νίνου μεγάλης βασιλεύσας.

Alterum tale:

Ταῦτ' ἔχω ὅσσ' ἔφαγον καὶ ἐφύβρισα καὶ μετ' ἔρωτος
τέρπν' ἔπαθον· τὰ δὲ πολλὰ καὶ ὄλβια κεῖνα λέλειπται.
ἥδε σοφὴ βιότοιο παραίνεσις ἀνθρώποισιν.

aut etiam duobus duntaxat versibus, his: *Ταῦτ' ἔχω* et *τέρπν' ἔπαθον.* Hæc duo epitaphia antiquitus diuersa perperam coaluisse in vnum. Quæ coniectura tam audax est, tam destituta omni fundamento, vt contra argumentari superuacaneum sit. Ea tamen innitens Strabonem etiam aggreditur Stephanus, apud quem quæ repetitio est duorum versuum, mira sane prima specie, eam ita explicat et tollit, vt ex epigrammate, quod ibi est versibus sex, quartum et quintum remouendos esse pronunciet: hos enim non esse a Strabone, sed quopiam eius lectore, aut etiam a librario insertos. Longe aliud monstrant Strabonis codices. Quanto satius fuerat, eam viam persequi, quam vidit, sed futili de caussa reliquit Stephanus. Cuius hæc sunt verba pag. 89. *Sed vtrum e duobus credendum est? voluisse Strabonem significare, duos hosce versus quos cæteris insertos protulerat, afferri etiam seorsum: an potius non a Strabone, sed quopiam eius lectore, aut etiam*

a librario, cæteris insertos esse? Hoc sane potius quam illud mihi persuaserim. Leuiora sunt, quæ præter hæc animaduertit Stephanus. Sic apud Strabonem verba hæc, ὡς τἄλλα — τοῦ ἀποκροτήματος, quo loco reponenda essent, ante Casaubonum ille docuit. Sed hac quoque in re opem ferre codices, a me monitum est. Denique versum hunc:

ἥδε σοφὴ βιότοιο παραίνεσις ἀνθρώποισιν,

pro recenti adiectione minime esse habendam censet Stephanus. Ad nomen παραίνεσις allusisse videri, vel videri posse, auctorem versuum eorum, qui sequuntur apud Athenæum:

Πᾶσιν δὲ θνητοῖς βούλομαι παραινέσαι.

Quod argumentum vident omnes, quam infirmum sit. Eodem iure et maiore veri specie horum versuum auctori obuersatum esse dixeris Euripidem Phoen. 463. Quem etiam Strattis irrisit: de qua re ibi Valkenarius. Sed omnino vsitata fuit Euripidi loquutio: βούλομαι παραινέσαι, παραινέσαι θέλω. Cf. Heraclid. v. 1018. quem locum laudauit Valkenarius, et Erechthei fragm. II. Vt fortasse eam loquutionem propter Euripidem studiosius frequentauerint comici poetæ. Ille versus, ἥδε σοφὴ βιότοιο, cur serius accessisse videatur, declaraui. Quamquam hæc res ex eo genere est, in quo numquam aliquid certi definitum iri existimo. Cætera, Choerilum, Chrysippi illud, quod ostendi, additamentum, insignem lectionis varietatem, et quæ nos tractauimus alia, ea omnia silentio prætermisit Stephanus. Idem in eo libello, quem Parodiarum moralium nomine inscripsit et a. 1575. vulgauit, pag. 139. commemorauit, sed tantum commemorauit Cratetis parodiam.

Semel per hanc occasionem respiciemus ad argumentationem illam, qua demonstraui, Choerili Iasensis manum agnosci in hoc Sardanapali epitaphio, non-

Choerili Samii. Enimuero quum fallatur Henricus Stephanus, qui hoc versu,

πᾶσιν δὲ θνητοῖς βούλομαι παραινέσαι,

alludi putet ad istum: *ἥδε σοφὴ β. παραίνεσις ἀνθρώποισιν:* sunt tamen alii poetarum loci, qui eamdem, vel fortasse euidentiorem imitationis speciem præ se ferunt. Quæ species nisi post seuerius examen euanesceret, concedendum foret, diu ante Alexandrum Magnum et ante Choerilum Iasensem vulgata fuisse in Græcia Sardanapali epitaphia. Amphis apud Athenæum pag. 336. C.

Πῖνε, παῖζε· θνητὸς ὁ βίος· ὀλίγος οὑπὶ γῆς χρόνος.
ὁ θάνατος δ' ἀθάνατός ἐστιν, ἢν ἅπαξ τις ἀποθάνῃ.

Sepulcralis Bacchidæ inscriptio apud eumdem ibidem:

Πιέν, φαγέν, καὶ πάντα τᾷ ψυχᾷ δόμεν.
κἀγὼ γὰρ ἕστακ' ἀντὶ Βακχίδα λίθος.

Quid vero? Nonne hæc manifesto expressa sunt ex inscriptione Anchialea? Et si hoc ferimus, nam potest aliqua eius inscriptionis notitia mature peruenisse ad Græcos, at illud Amphidis: *πῖνε, παῖζε· θνητὸς ὁ βίος,* nonne imitari videtur hunc versum:

εὖ εἰδὼς ὅτι θνητὸς ἔφυς —?

Sane ita esse videtur. Nec tamen est. Bacchidæ quidem ætatem nemo facile definiet. At de hac re nunc non litigabo. Antiquissimus ille fuerit. Ego simpliciter profiteor, non ita similia esse ista Sardanapali epitaphio, vt de imitatione cogitandum sit. Omnino hac sagacitate, qua decernere solemus, qui scriptores se inuicem imitati sint, nihil periculosius, nihil fallacius. Et quid tum, si contraria ratione Amphidem et Bacchidæ epitaphium ante oculos habuerint ii, qui in græcum sermonem transtulerunt Sardanapali epitaphia? Sed profecto neque a Græcis Sardanapalus, neque Græci a Sardanapalo *edere, bibere, ludere* didicerunt. Nisi

Homerum quoque Sardanapali memorem fuisse dixeris, quum caneret illud:

τῶν ἔφαγόν τ' ἔπιόν τε, καὶ αἰδοίοισιν ἔδωκα.

Odyss. XV. 372. Vbi Ernestus bene: *clarum est,* inquit, *hunc versum esse fundum sententiæ in epitaphio Sardanapali.* Eamque obseruationem etiam ad Amphidem et Bacchidam adhibere licet. Certe si ista sua non potuerunt sine auctoritate dicere Amphis et Bacchidas, non video, cur Sardanapali magis quam Homeri auctoritatem circumspexerint. Nempe etsi de Homeri sententia, et quid ibi *αἰδοίοισιν* significaret, vix aliquis Homero familiarior serio dubitare potuerit: multos tamen fuisse credibile est, qui ambiguam Homeri dictionem in obscoenam sententiam detorquerent per iocum. Concinne ad hunc locum disputauit Eustathius. Homericum Vlyssem cum Sardanapalo componit Athenæus X. p. 412. D. Vbi Sardanapali epitaphium manifesto respexit Athenæus. Cf. eumdem XII. p. 513. B. Quæ de Amphide et Bacchida obseruaui, eadem valent in Alexin, cuius versus, quibus in Sardanapali epitaphium respexerit, produxit Iacobsius ex Plutarcho de aud. poetis p. 21. D. Valet et in Alexidis versus, si sunt Alexidis, apud Athenæum pag. 336. F. At hi tamen aliquanto maiorem imitationis suspicionem suggerunt. Videamus.

ἕξεις δ' ὅσ' ἂν φάγῃς τε καὶ πίῃς μόνα·
σποδοὶ δὲ τἄλλα, Περικλέης, Κόδροι, Κίμων.

Priora satis similia sunt isti versui:

ταῦτ' ἔχω, ὅσσ' ἔφαγον etc.

Qui versus Choerili Iasensis ætatem superat. *σποδοὶ* in mentem reuocat Choerili versum tertium: sed tamen paullo aliter dictum est, quam ibi *σποδός*.

Adhuc id egimus, vt qui non imitati sint Sardanapali epitaphium patefieret. Qua opera quum fortasse

supersedere potuissem, non prætereundus est is, qui vnice illud manifesta imitatione expressit, vel potius noua paraphrasi donauit et exornando nouum fecit. Is est Phoenix Colophonius in iambis apud Athenæum XII. pag. 530. 531. Vbi satis mirari non possum, quod nemo, ac ne Buherius quidem, qui de his rebus longe et data opera disseruit, animaduerterit, idem a Phoenice epitaphium intelligi et tractari, quod a Choerilo tractatum fuisset. Nimirum omnibus fraudi fuit versus illius carminis duodecimus: vbi de Nino rege cogitauerunt, quum deberent de Nino vrbe. Clarum est ex hoc maxime versu, diuerso modo narratum fuisse de monumento eo, quod Nini vel prope Ninum esset: a plurimis ita, vt Sardanapalo illud tribueretur; ab aliis in eam sententiam, vt Nino regi. Hoc nunc solo Phoenicis testimonio, quod sciam, constat. Nos plurimorum narrationem sequuti sumus. Itaque Phoenici inscriptio Sardanapali, vel, vt illi videbatur, Nini regis, quæ prope Ninum fuisset, cognita fuit tota et integra. Hoc certum est. Incertum, an idem eius inscriptionis paraphrasin poeticam, a Choerilo Iasensi factam, habuerit cognitam. Illud quidem distichon, *Ταῦτ' ἔχω* etc. antiquitus notum ante Choerilum Iasensem, nemo dubitauit, quin ante oculos habuerit et imitatus sit Phoenix versibus iis, qui sunt 18. 19. 20. apud Athenæum. Qui præcedunt et qui sequuntur versus, eos fortasse suo Marte sic fecit Phoenix, interpretationem pedestrem vel eam, quam ex Amynta cognouimus, vel similem quamdam sequutus. Sed versum vltimum respicienti et conformationem epitaphii, quale est apud Phoenicem, totam contemplanti vix relinquetur dubitatio, quin Choerili epigramma viderit et adumbrauerit, et amplificauerit Phoenix. Ista quoque,

τὰ δ' ὄλβι' ἡμέων δήϊοι συνελθόντες
φέρουσιν, ὥσπερ ἔριφον ὠμὸν αἱ Βάκχαι,

magis respondent Choerileæ scripturæ *λέλυνται,* quam

alteri λέλειπται. Atque hoc loco, quum occasio ferat, immo postulet, quæ Phoenicis Colophonii ætas fuerit, eo minus grauabor admonere, quo rariorem esse huius hominis notitiam video. De quo qui disertius exposuerit, memini neminem. In dictione Phoenicis quum quædam sint, quæ aut valde antiquum poetam aut longe recentiorem, antiquorum imitatorem, prodant, sunt rursus alia, et versuum fabricatio cernitur talis, vt poetam agnoscamus recentiorem, antiquitatis affectatorem, qui choliamborum genus, dudum sepultum, suscitare satis prospero successu studuerit. Deinde, in qua re aliud ætatis indicium pono, apud inuentores huius metri rerum non tam mira varietas fuit, quam apud Phoenicem fuisse ex Athenæo intelligitur. Qui poeta quum ante omnia hoc haberet propositum, vt scazontes faceret, in delectu rerum non videtur anxius fuisse. Hæc obseruatio fortasse et in Aeschrionem cadit. Altera parte quo minus ad nimis sera tempora detrudamus Phoenicem, iterum obstat scazontis, qua vsus est, forma aliquanto, quam apud Callimachum, licentior. Hæc igitur omnia in ætatem inter antiquos poetas et Alexandrinos mediam, sed his longe, quam illis, propiorem conueniunt. Et huic ætati Phoenicem Colophonium assignat præclaro testimonio Pausanias lib. I. pag. 25. Carmen illud, quod est de Nino, apponam integrum. In quo si quid forte alicui obseruasse videar, quod iam ab aliis obseruatum fuerit, scito, me præter ea, quæ contulerunt Schweighæuserus et Iacobsius, illa tantum nouisse, quæ nuper Meinekius in Curis criticis p. 54. sq. Itaque nihil amplius desiderandum esse puto, si tale legatur carmen:

Ἀνὴρ Νῖνος τις ἐγένεθ', ὡς ἐγὼ κλύω,
Ἀσσύριος, ὅστις εἶχε χρυσίου πόντον,
καὶ τἄλλα πολλῷ πλέονα Κασπίης ψάμμου·
ὃς οὐκ ἴδ' ἀστέρ', οὐδ' ἰδὼν ἐδίζητο·

οὐ παρὰ μάγοισι πῦρ ἱερὸν ἀνέστησεν,
ὥσπερ νόμος, ῥάβδοισι τοῦ θεοῦ ψαύων.
οὐ μὴν θυητὴς, οὐ δικασπόλος κεῖνος,
οὐ λεωλογεῖν ἐμάνθαν', οὐκ ἀμιθρῆσαι·
ἀλλ' ἦν ἄριστος ἐσθίειν τε καὶ πίνειν,
κἠρᾶν, τὰ δ' ἄλλα πάντα κατὰ πετρῶν ὤθει.
ὡς δ' ἀπέθαν' ὡνὴρ, πᾶσι κατέλιπεν ῥῆσιν,
ὅκου Νίνος νῦν ἐστι, καὶ τὸ σῆμ' ᾄδει·
Ἄκουσον, εἴτ' Ἀσσύριος, εἴτε καὶ Μῆδος
εἶς, ἢ Κόραξος, ἢ 'πὸ τῶν ἄνω λιμνῶν
Ἰνδὸς κομήτης· οὐ γὰρ ἀλλὰ κηρύσσω·
Ἐγὼ Νίνος πάλαι ποτ' ἐγενόμην πνεῦμα,
νῦν δ' οὐκ ἔτ' οὐδὲν, ἀλλὰ γῆ πεποίημαι.
ἔχω δ' ὁκόσον ἔδαισα, χὡκόσ' ᾔεισα,
— — — — — — χὡκόσ' ἠράσθην.
τὰ δ' ὄλβι' ἡμέων δήϊοι συνελθόντες
φέρουσιν, ὥσπερ ἔριφον ὠμὸν αἱ Βάκχαι.
ἐγὼ δ' ἐς ᾅδην οὔτε χρυσὸν οὔθ' ἵππον,
οὔτ' ἀργυρῆν ἅμαξαν ᾠχόμην ἕλκων·
σποδὸς δὲ πολλὴ χὡ μιτρηφόρος κεῖμαι.

Admodum fideliter Phoenicis verba repræsentant antiqui libri. Mutationem non admisi nisi lenissimam. Primæ syllabæ correptio in nomine *Νίνος* satis se ipsa tuetur in hoc carmine. Eam vero non modo excusandam, sed legitimam esse, præter Choerilum ostendit, qui his poetis antiquior, nobis vtique memorandus, Phocylides apud Brunk. in eth. poesi p. 91.

Καὶ τόδε Φωκυλίδεω· Πόλις ἐν σκοπέλῳ κατὰ κόσμον
οἰκεῦσα σμικρὴ κρείσσων Νίνου ἀφραινούσης.

De verbo *κλύω* ita disputauit Meinekius, vt sufficiat. Ad versum 3. non prætermittendus erat Eustathius in Odyss. IV. 82. pag. 1484. 17. Rom. *λέγει καὶ* (Athenæus) *ὡς Νῖνος ὁ Ἀσσύριος κατὰ τὸν Κολοφώνιον Φοίνικα, χρυσίου τάλαντα εἶχε πολλῷ πλείονα Κασπίης ψάμμου.* Hoc affine esse dicit Homericæ dictioni Il. IX. 385. Versu

quarto hoc dicit poeta: Ninum neque vidisse astrum, nec, si quando videret, vt fieri non potuit, quin aliquoties coelum adspexerit, explorasse. Quæ apud populum astrorum cultorem extrema negligentia. Persicos ritus Nino tribuit Phoenix. Diuinarum rerum incuriam vberius persequitur: tum, omnia vno verbo comprehendens: *οὐ μὴν θνητῆς*. Vbi *θνητῆς* est a Casaubono, rite formatum et tam prope adductum ad librorum vestigia, nihil vt possit propius. Tria antiquorum regum munera percurrit. Nam profecto nimis stupidum interpretes fecerunt Ninum, qui ne *numerare* quidem didicerit. *Λεωλογεῖν* hic poeta dixit, quod alii *ἀνδρολογεῖν*, *στρατολογεῖν*. *Ἀμιθρῆσαι*, *recensere*. Quid recensuerit, vel potius non recensuerit, patebat ex præcedente verbo: nimirum *λαόν*, *exercitum*. Sollemne est *ἀριθμεῖν*, vbi de recensione exercitus vel gregis alicuius agitur. In tali re ipso illo verbo vsus Callimachus, in hymno Cereris:

ποίμνι᾽ ἀμιθρεῖ.

Proinde ex Callimachi fragmentorum serie eximendum videtur fragmentum CCCXXXIX. *Ἀμιθρῆσαι* sicubi occurrit apud grammaticos, vix dubium est, quin ad Phoenicem referendum sit. Is a quo sua habet Suidas, scripserat: *Ἀμιθρῆσαι· μετρῆσαι, ἀριθμῆσαι*, Phoenicem respiciens. Tum addiderat, esse hoc verbum etiam *apud Callimachum*. Nimirum in hymno Cereris. Quod autem explicationis caussa additum est *μετρῆσαι*, ex eo colligimus, iam olim grammaticis perperam intellectum esse Phoenicis locum. Eustathius ad Odyss. XVI. p. 1801. 27. vtrum Phoenicem an Callimachum intellexerit, ambigi potest. Est cur Callimachum intellexisse videatur. Sed Phoenicem, credo, ante oculos habuit. In versu duodecimo elaborare periculosum videri poterat, postquam Meinekius, vir amicissimus, edixisset, se hæc acutioribus relinquere. Quod ego adhi-

bui remedii genus, tale est, vt inuento meo non valde glorier. Catullianum, *charta loquatur anus*, græcis exemplis satis apte illustrauit Valkenarius ad Eurip. Phoen. v. 103. A Phoenice proxime abest Callimachi epigramma XIX. 4. 5. Qualia multa conferri poterunt ex carminibus veterum sepulcralibus. Cæterum notandum est ᾄδει. Qua contractione, puto, non vsurus fuisset in ipsis Nini verbis, quæ orationem aliquanto, vt videtur, altiorem habent. Ibi fortasse ὕδει dixisset vel tale quid. Hic vero, et in Coronistarum cantico apud Athenæum VIII. pag. 360. A. attica contractione vti non dubitauit. Abstinuit Callimachus in fragm. XC. Mox seruandum esse duxi, quod vulgauerunt Athenæi editores, Κόραξος. Alii scriptores fortasse rectius, Κοραξοί, Κοραξῶν. De lana Coraxorum antiquum Hipponactis testimonium exstat apud Tzetzen in chiliadibus X. 381.

Κοραξικὸν μὲν ἠμφιεσμένη λῶπος.

οὐ γὰρ ἀλλά ex acuta Meinekii obseruatione. Vs. 18. malui ὁκόσον ἔδαισα, quam ὁκόσσ'. Permissum esse videbatur huic poetæ, vt secundam arsin solueret. Seueriorem metri legem sibi proposuerat Aeschrio, quantum ex paucis illis fragmentis coniicimus. Deinde ferendum erit hoc loco, licet insolenter dictum, ἔδαισα. Alibi idem poeta rectius: δαίνυσθαι. Qui verbum ἔδαισεν interpretantur: εὐώχησεν, Hesychius et Suidas, haud dubie eiusmodi locum respexerunt, vbi ἔδαισεν legitimam vim haberet, actiuam. Ac fortasse Herodotea glossa est, ex libro I. 162. At idem illud verbum εὐωχεῖν, fuerunt qui ibi ponerent, vbi legitimum fuisset εὐωχεῖσθαι. V. Bekkeri Anecdota vol. I. p. 94. 21. Quæ autem de versu Phoenicis decimo nono restant, truncato illo, quod ad finem versus remoui, quum vulgo initium constituant, ideo feci, quoniam de sententia verborum eorum, quæ exciderint, longe aliud persuasum habeo, quam habuit Casaubonus. Hoc fere dixerat

Phoenicis Ninus: *Hæc habeo, quæ edi, et quæ cecini inter pocula, et quæ indulsi amori.* *Ἧεισα* nudum positum non satis accurate respondet nec Choerileo *ἐφύβρισα,* nec vulgato *ἔπιον.* Sunt præterea in librorum lectione: *χὠκόσσ' ἐράσθην,* quæ displiceant. Augmentum nusquam, quod memini, omittit Phoenix. Nec, si in Nini verbis oratio esse videtur a reliquis quodam modo diuersa, tam diuersa est, vt hoc pertinuerit ad augmentum. Denique ne id quidem certum exploratumque est, an placuerit Phoenici *ὁκόσσον* dicere pro *ὁκόσον.* Sic vs. 16. non ausus sum *κοτε* scribere, etsi hoc est apud Callimachum in eodem versuum genere. Habet talia quædam Phoenix, et multo magis mira. In Cornicis versu eo, qui est ante vltimum, non animadverterunt viri docti, poetam scripsisse *δοῦν,* longe insolentissima infinitiui forma, cui quæ comparentur exempla similia, perpauca sunt. Verum hæc omnia, quæ ad sermonem siue dialectum poeticam pertinent, cautissime tractanda nec sine necessitate nouis exemplis augenda sunt. Quare nostro loco vulgata lectio, *χὠκόσσ' ἐράσθην,* tribuenda est librariis doctioribus, qui sibi persuasissent, hæc initium versus esse. Sæpius hoc modo peccatum est, vt in locis manifesto mutilatis lacunam ibi posuerint librarii, vbi nulla esset. Cuius rei exemplum simillimum tractauimus in Asii Samii versibus.

Varietatem lectionis, quæ in Choerili carmine, integram et aberrationem scriptorum omnem exhibere neque animus fert, neque opus est. Instituit id, vt Buherium taceam, Iacobsius. Apud quem quæ desunt, supplere potest, qui volet. Veluti ex Tzetza et Diodori codicibus. Ego operam dabo, vt grauiora recenseam omnia. Triplex fere in hoc epigrammate varietatis fons est et caussa, præter eam varietatem, quæ est in vss. 4. et 5. quam a duobus poetis, Choerilo et altero antiquiore, repetendam esse docui. Ac primum quidem

genus eius varietatis, quæ librariis debetur. Alterum scriptoribus, qui vel negligentia et crebro vsu, vel consulto, intulerunt suas, quæ quidem ipsis obuersarentur vel meliores viderentur, lectiones. Tertium genus eorum, quæ ex parodiis Cratetis Chrysippique inuecta sunt.

Versu 1. δεδαὼς præbet scholiastes Aristophanis, ex eoque Eudocia. Quod quum Buherius pag. 225. magis poeticum et Choerileum esse putet, ego Alexandrino æuo eique tribuendum esse censeo, qui hiatus etiam Homericos et non hiatus, euitare, si fieri posset, quam admittere mallet. Sic εὖ δεδαῶτε, εὖ δεδαώς Apollonius I, 52. 76. sed εὖ εἰδώς vbi dixerit, non memini. Choerilum εἰδὼς scripsisse, clamant reliqui testes omnes, et scholiasta illo locupletiores: Diodorus cum Tzetza, Strabo, Athenæus, Anthologia, Chrysippus in parodia. Sed mox, quum mira sit lectionis varietas, σόν, τόν, ὅν, pæne dixerim, verum esse ὅν, quod schol. Aristoph. et Eudocia. Non dedecet Choerilum iste loquendi vsus, Alexandrinorum ætate non insolens, et cuius vestigia illi iam apud Homerum reperiebant. Tamen tutius duxi, exhibere σόν. Quod et Chrysippi parodia tuetur. Apud Athenæum Casaubonus et Schweighæuserus: τὸν ϑ. ἄ. sine varietate. Et sic Basileensis editio, et haud dubie Veneta quoque. Id propterea monui, quoniam Eustathius hanc profert ex Athenæo lectionem: σὸν ϑ. ἄ.

At omnino attinet audire Eustathium. Quo neglexerunt vti viri docti. Nimirum verbum ἄεξε male interpretari Buherium, non est quod moneam. Quem, nisi fallor, induxit Dalecampius. Vnice huc pertinet Homerus Odyss. II. 315. Qui locus etsi multum abest, vt prorsus respondeat, tamen hoc sibi sumpsit Choerilus, vt simili quadam ratione ϑυμὸν ἀέξειν diceret: *auge animum*, id est, *foue libidinem et cupiditatem tuam*. Nam ϑυμὸν ea fere vi accepit, qua dici solet ἐπιϑυμία,

vel potius *θυμὸν* dixit *ἐπιθυμίας* sedem. Quare Casaubonus rectissime explicat: *genio indulgere, et animo suo morem gerere.* Cf. eumd. ad lib. Athenæi IV. Anim. p. 287. Bene hoc obseruauerat Casaubonus, *ἀέξειν* non vbique esse *augere*, sed *plurimum vti;* vel, vt paullo ante dicebam, *fouere.* In eumdem finem disputat Eustathius, qui exposita interpretum de Homeri loco dubitatione, quum alii *θυμὸν* ibi interpretarentur *ὀργήν*, alii *ψυχήν*, ita pergit pag. 1447. 29. Rom. *ὁ δέ γε πάραρος Σαρδανάπαλος παρανοήσας τὸν ἐνταῦθα ὁμηρικὸν θυμὸν ἤγουν χόλον, ἔφη. εὖ εἰδὼς ὅτι θνητὸς ἔφυς, σὸν θυμὸν ἄεξε τερπόμενος θαλίῃσι καὶ ἑξῆς, ὡς παρὰ τῷ δειπνοσοφιστῇ κεῖται. θυμὸν ἀέξειν ἐκεῖνος νοήσας, οὐ τὸ χολοῦσθαι ἐφ' οἷς χρεών, ἀλλὰ τὸ τὴν ψυχὴν τελειοῦσθαι εἰς τὸ τὰ σπουδαῖα ἐνεργεῖν, καὶ τὸ πρὸς ἐπιθυμίαν ζῆν· παραφέρει δὲ ὁ αὐτὸς σοφιστὴς καὶ ἑτέρους ὅμοια τῷ Σαρδαναπάλῳ ληροῦντας.* Hinc ad quæ transit Eustathius, ea Polybii sunt ex libro XV. Cf. Suidas in v. *ἀντεθυμιᾶτο.* Scholiastes Homeri breuius: *ὁ δὲ Σαρδανάπαλος, θυμὸν ἀέξειν, τὸ πρὸς ἐπιθυμίαν ζῆν.* Nec prorsus alienus, sed Homero, quam Choerilo, propior Hesiodus est in Theog. 641. Correptionis ante *θνητός* audaciam supra tetigi. Eadem licentia Empedocles vs. 367. Sturz.

χαίρετ'· ἐγὼ δ' ὑμῖν θεὸς ἄμβροτος, οὐκέτι θνητός,
πωλεῦμαι μετὰ πᾶσι τετιμένος.

Cf. v. 147. 149. Quos versus emendatiores dederat Hermannus ad Arist. Poet. XXVI. 19. Verum in Empedocle talia non miramur; multo etiam minus miramur in versibus istis, qui leguntur in fine carminis, quod dicitur, aurei. Quos non idonea de caussa inter Empedocleos retulit Sturzius v. 396. sq. Choerilo etiam in sententia et verbis quodam modo similis est is, qui Phocylidis nomen mentitur, vs. 103.

μέμνησ' ὅτι θνητὸς ὑπάρχεις.

Aliud huius correptionis exemplum est in Moschi Megara v. 55.

Quod vs. 2. dicit: τερπόμενος θαλίῃσι, id antiquissimi poetæ dixerunt: ἐν θαλίῃσι. Velut Hesiodus Op. 115. Et sic Homerus solet, si recte memini. Discessit hymni in Mercurium auctor v. 56. et 454. Quod deinde vsitatum fuit loquendi genus. Theognis vs. 756. vel 778. ed. nouiss.

τερπόμενος κιθάρῃ καὶ ἐρατῇ θαλίῃ.

Vbi si legeretur θαλίης ἐρατῆς, quod Brunkius voluit, nemo, puto, offenderet; nunc in vulgata lectione paullisper offendimus. Nescio tamen an ea ferenda sit. Non nimis durum hoc est pro Theognide. Sardanapali licentiam et Chrysippi seueritatem idonea temperatione miscuit Hesiodus apud Athen. II. p. 40. F.

Ἡδὺ γάρ ἐστ' ἐν δαιτὶ καὶ εἰλαπίνῃ τεθαλυίῃ
τέρπεσθαι μύθοισιν, ἐπὴν δαιτὸς κορέσωνται.

Pergit Choerilus: θανόντι τοι οὔτις ὄνησις. Præstaret τοί, etiamsi omnes haberent σοί. Sed ne Athenæus quidem an σοὶ scripserit, certa res est. Vbi epitome Schweighæuseri ms. et hic: θανόντι τοι, et in Chrysippi parodia φάγοντι τοι. Ad sensum aptissima est quæ conferatur Darii similis, sed paullo modestior admonitio, apud Aeschylum in Persis v. 837. sqq.

ὑμεῖς δὲ, πρέσβεις, χαίρετ', ἐν κακοῖς ὅμως,
ψυχὴν διδόντες ἡδονῇ καθ' ἡμέραν,
ὡς τοῖς θανοῦσι πλοῦτος οὐδὲν ὠφελεῖ.

Interpres vetus latinus:

Quum te mortalem noris, præsentibus exple
Deliciis animum; post mortem nulla voluptas.

De varietate versuum 4. 5. præcipua et antiqua, quæ est ex duplici scriptura, Choerili altera et altera poetæ ignoti antiquioris, dictum est. Præstare et elegantiorem esse eam, quam antiquiorem dixi, et ego animaduerti, et senserunt alii: Muretus var. lect. XIX. III. Schæferus ad Theocr. XVI. 42. Theocriti versum Iacobsius

quoque Choerilo admouit. Choerilo fortasse propterea fortius visum est *λέλυνται*, quod exitum ille Sardanapali et opum, quæ accidisset, in morte euersionem ante oculos haberet. Verum ex mente Sardanapali conuenientius erat *λέλειπται*. Quæ præterea in censum venit lectionis discrepantia, hæc est, sepositis iis, quæ Choerilo propria. *Ταῦτ'* auctoritatem habet inexpugnabilem ex Strabone, Stephano, Diodoro, Polybio, Clemente, scholiasta Aristophanis; præterea ex Cratetis et ex Chrysippi parodia. Et sic Plutarchus non solum in libro de sui laude pag. 546. A. sed etiam de fortuna Alex. M. orat. I. p. 330. F. Contra *τόσσ'* in Anthologia, etiam Vaticana. Et ex Anthologia maxime hoc permanasse videtur ad scriptores quosdam inferioris ætatis: ad Dionem Chrys. orat. IV. de regno; ad Theodoretum de curat. græc. affect. disp. XII. tom. IV. part. II. pag. 1039. ed. Hal. cuius verba protulit ad Clementem D. Heinsius; ad Suidam in v. *Σαρδανάπαλος*, qui, quod obiter obseruetur, postrema inde a verbis, *οὐ γὰρ ἔχει*, descripsit ex Theodoreto, monentibus Buherio p. 228. et Dauisio ad Cic. Tusc. Si descripsit. Certe in codice Lugduno-Batauo, obseruante Gronouio apud Seidlerum, hæc tantum leguntur: — *τῷ τάφῳ ἐκείνου ὡς ἐξ αὐτοῦ τὸ, Τόσσ' ἔχω:* reliqua, *καὶ τὰ — εἰργάσατο*, desunt. Denique *τόσσ'* ad Nicetam permanauit, cuius locum ego supra posui. Eustathius quoque ad Homerum, etsi non *τόσσ'*, at habet tamen *τοσαῦτα*, binis locis. Verum paullo intentius inspiciendus est Eustathius, cuius plane singularem deprehendemus cum Anthologia Vaticana consensum. Quæ quum versum sic exhibeat, sine metro:

Τόσσ' ἔχω, ὅσσ' ἔφαγόν τε καὶ ἔπιον, καὶ μετ' ἐρώτων,

Eustathius ad Il. IX. 483. pag. 766. 57. Rom. hæc attulit Sardanapali: *τοσαῦτ' ἔχων ὅσα ἔφαγόν τε καὶ ἔπιον καὶ ἑξῆς.* et iterum ad Il. XXI. 76. pag. 1224. 34. hæc: *τοσαῦτ' ἔχω, ὅσ' ἔφαγόν τε καὶ ἔπιον.* Vbi memorabile est,

quod Eustathio hæc sic proferre placuerit, quum metrica posset ex Athenæo. Colligi autem hinc licet, duos illos versus, vel saltem eorum initium etiam soluta oratione in Græcia vulgatum fuisse hoc modo: *Τόσσ'* vel *τοσαῦτ' ἔχω, ὅσσ' ἔφαγόν τε καὶ ἔπιον.* In quibus *ἔπιον* ad sensum quidem idem, quod *ἐφύβρισα,* sed simplicius est et solutæ orationi aptius. Accedebat, quod in altera inscriptione legissent: *Ἔσθιε, πῖνε,* et in ea inscriptione, quæ est apud Athenæum: *ἔπιον, ἔφαγον.* Itaque hæc ex vulgari loquentium vsu in Anthologiam Vatic. et ad Eustathium venerunt. Tandem, quum viderimus, propriam Anthologiæ lectionem esse *τόσσ'*, hoc quoque liquet, qui factum sit, vt etiam in Cratetis parodia quidam Anthologiæ libri præbeant *τόσσ',* vbi *ταῦτ'* vnice verum est. Qui in Sardanapali epitaphio scripsissent: *Τόσσ' ἔχω, ὅσσ' ἔφαγον* — iis facile accidere potuit, vt etiam in Cratetis parodia scriberent: *Τόσσ' ἔχω, ὅσσ' ἔμαθον.* Ergo sicut Sardanapali epitaphium ex Cratetis parodia labem contraxit, de qua re statim dicturus sum ad versum quintum: ita rursus hoc loco Crates ex illo. Quod paullo ante dicebam, idem esse *ἔπιον* et *ἐφύβρισα,* verbo illustrandum est, quum raram hoc loco significationem habeat *ἐφυβρίζειν,* et quam lexica ignorant. *Ἐφυβρίζειν* quum nihil aliud sit, quam *per ὕβριν agere,* id est, *petulanter agere:* hic quænam sit illa petulantia, declarat præcedens *ἔφαγον.* Nempe est petulantia in conuiuio ex vino orta. Vt fere idem sit *ἐφυβρίζειν,* quod alibi *μαίνεσθαι, furere.* In fine versus quarti *ἐρώτων* habent cod. Vaticanus et scholiastes Aristophanis cum Eudocia. Et hinc Dio Chrysostomus. Quod, nisi mera est aberratio, ex frequentato horum versuum vsu orta, ex Cratetis et ex Chrysippi parodia natum putem, qui pluralem habent: ille *Μουσῶν,* hic *τούτων.* Quinti initio Anthologiæ libri, etiam Vaticanus: *Τέρπν' ἐδάην;* ex Cratetis parodia. Vnus Stephanus Byzantinus: *Τερπνὰ πάθον.* *Τερπνὰ παθών* alio sensu dixit Tyr-

tæus III. 58. In fine versus Vaticanus: τάφος ἔμαρψε. Et hoc quoque ex Cratetis parodia. In qua τάφος esse Vaticani lectionem, animaduertimus. Denique quod in margine positum habet Vaticanus, πάντα λέλειπται, fluxit ex Chrysippi parodia; reliqui Anthologiæ libri: κεῖνα. Verum πάντα etiam Theodoretus. Dio Chrysostomus: λοιπὰ καὶ ὅ. πάντα λέλειπται. Vtrumque ex Chrysippi parodia, in qua: λοιπὰ καὶ ἡδέα πάντα λ.

Telam pertexui laboris plenam. Ac possem consistere hoc loco, nisi quædam monenda superessent de inscriptione Sardanapali altera, Anchialea. In qua lectionis varietas non multo minus insolens, vel inde, quod alius verba barbarica sic, alius aliter verteret, vel inde potius explicanda, quod interpretationem verborum barbaricorum ab antiquissimo auctore factam scriptores, siue de industria siue incuria, mutauerint, contraxerint, interpolauerint. Anchialeam inscriptionem integram et genuinam conseruauerunt Athenæus p. 530. B. et Strabo p. 988. Almel. Qui duo toti conspirant, si a Strabone remouemus, quod bene fecit Tzschuckius, quæ male inseruerunt aut primi editores aut Casaubonus. Vt id solum dubium sit, vtrum apud Strabonem rectius ὁ Ἀνακυνδαράξεω, an apud Athenæum Ἀνακυνδαράξεω sine articulo. Nam Ἀνακυνδαράξεω vterque scripsisse videntur, non Ἀνακυνδαράξου. Certe Aristobulus dedit, quod acceperat, Ἀνακυνδαράξεω. Ionica dialecto primitus conceptam fuisse inscriptionem plura monstrant. Athenæo et Straboni tertius accedit Stephanus Byzantinus, qui haud dubie Strabonem ante oculos habuit. Quare quod Stephani libri ἐν insertum habent post ἔδειμεν, non credo eam particulam esse a Stephano. Itaque talem inscriptionem optimus auctor Aristobulus exhibuerat, testantibus Athenæo, Strabone et Stephano:

Σαρδανάπαλος, [ὁ] Ἀνακυνδαράξεω παῖς, Ἀγχιάλην

καὶ Ταρσὸν ἔδειμεν ἡμέρῃ μιῇ. ἔσθιε, πῖνε, παῖζε· ὡς τἄλλα τούτου οὐκ ἄξια.

De eo, quod apud Strabonem legitur, τοῦ ἀποκροτήματος, disseruit Casaubonus. Eadem opera adiuuandus Suidas in v. ὀχεύω, vt interpungatur: ἄξια· τοῦ τῶν δακτύλων ἀποκροτήματος. Quod alii, immo Suidas ipse in v. Σαρδαναπάλους, clarius: τουτέστι, τοῦ τῶν δ. ἀ. Verba σὺ δὲ ὦ ξένε, desunt Athenæo et Stephano, et in Strabonis codicibus, vt videtur, omnibus, etiam Guarini codice. Ab Aldo in Strabonem inserta dicit Tzschuckius. Desunt scholiastæ Aristophanis, et in Vaticana prouerbiorum appendice cent. III. 88. pag. 312. Photiique lexico. Addunt Arrianus et Suidas in v. Σαρδαναπάλους. Et contracta peruenerunt ad Mich. Apostolium Paroem. cent. XVII. 26. pag. 211. Ita vt, si ex testium auctoritate iudicium facere velimus, pro suppositiciis illa habenda sint. Ac profecto glossam sapiunt et explicatoris manum produnt. Ne vero grauem scilicet Arriani auctoritatem prætendat aliquis, meminerit, aliud quoque additamentum legi apud Arrianum, quod nemo dubitauerit quin serius illatum sit, explicationis caussa, siue ab Arriano, siue ab eo, quem exscripserit ille. Hoc dico, quod Arrianus addit: τὰ ἀνθρώπινα; in quo iterum adstipulantem habet Suidam, apud quem: τὰ ἀνθρώπεια. Et sic, ὡς τἄλλα τὰ ἀνθρώπινα, vt Arrianus, Strabonis editiones ante Casaubonum. Operæ pretium tamen est, audire Arrianum.

Σαρδανάπαλος, ὁ Ἀνακυνδαράξου παῖς, Ἀγχιάλην καὶ Ταρσὸν ἐν ἡμέρᾳ μιᾷ ἐδείματο. σὺ δὲ, ὦ ξένε, ἔσθιε, καὶ πῖνε, καὶ παῖζε· ὡς τἄλλα τὰ ἀνθρώπινα οὐκ ὄντα τούτου ἄξια.

Vbi etiam ὄντα notabile est, quod alienum a genuina inscriptionis breuitate. Eadem, non nisi leuiter mutata, apud Suidam in v. Σαρδαναπάλους: nempe apud eum Suidam, qui nunc in manibus omnium est. Igitur du-

plicem habemus inscriptionis recensionem et editionem: vnam Aristobuli, alteram Arriani. Verum etiam tertiam quamdam formam fuisse videbimus, Suidæ non incognitam, non interpolatam additamentis istis, sed in qua insignis lectionis a reliquis discrepantia et singularis verborum ordo poetam, nisi fallor, exornatorem produnt. Et quartam monstrabo, ex prima et tertia mixtam, apud alios obuiam, et Suidæ vindicandam ex optimo codice. De his suo loco docebitur. Nunc cum Athenæo nobis res est, qui pag. 529. E. profert prorsus miro modo interpolatam, et quod pæne magis mireris, decurtatam inscriptionem:

Σαρδανάπαλος Ἀνακυνδαράξεω Ἀγχιάλην ἔδειμε καὶ Ταρσὸν μιῇ ἡμέρῃ, ἀλλὰ νῦν τέθνηκεν.

Vnde verba, *ἀλλὰ νῦν τέθνηκεν,* in Anchialeam inscriptionem recepit Buherius pag. 231. seq. Parum considerate. Si hæc partem fecissent Anchialeæ inscriptionis, plane mirum et inexplicabile foret, qui potuisset in mentem venire siue Athenæo siue alii cuiquam, ita mancam apponere inscriptionem, vt quæ grauia et necessaria essent, omitteret; hoc, quod ad sententiam non multum facit, vel potius nocet, poneret. Immo apparet, hæc non esse partem Anchialeæ inscriptionis, sed editionem eius et recensionem singularem, ab alio quodam scriptore profectam. Qui scriptor quis fuerit, non longinqua quæstio est. Clearchus est, cuius sunt proxime apud Athenæum præcedentia. Athenæus hoc loco a Clearcho proditam ponit inscriptionem, vt paullo post pag. 530. B. genuinam et incorruptam ex Aristobulo. Clearchus ergo genuinam illam inscriptionem, qualis apud Aristobulum, aut non agnouit, aut, quod veri similius, agnouit quidem, sed consulto deflexit et immutauit; alia rescidit, verba *ἀλλὰ νῦν τέθνηκεν* de suo posuit: quibus sententiæ summam complexurus sibi videbatur. Qua in re suum consilium et disputationis

finem, quem tum spectabat, obseruauit. Nempe demonstraturus erat, etiam magna quædam perfecisse Sardanapalum: φαίνεται οὖν οὐκ ἄπρακτος γενόμενος Σαρδανάπαλος· καὶ γὰρ ἐπιγέγραπται etc.

At male omnino Clearchus hoc addidit, quod est de morte. Non hæc fuit Anchialeæ inscriptionis mens, vt ea de caussa frustra fuisse diceret magna conamina, quod moriendum fuisset. Monumentum Anchialeum non mortuum sistebat Sardanapalum, sed viuum. Quippe positum erat in memoriam vrbium ab eo conditarum. Et inscriptionis hic fuit sensus, vt primo magna, quæ peregisset, opera, Tarsum et Anchialam, iactaret, deinde ipse suam iactationem castigans, et intima pectoris euoluens, moneret, sapientius facturos esse alios, si posthabita magnarum rerum gloria, vnice studerent voluptati: præter hanc omnia nihili aestumanda esse. Igitur in his nihil de morte. Anchialea inscriptio, non sepulcralis, probe discernenda est, id quod hic iterum inculcandum, a sepulcrali, quæ Nini fuit, expressa a Choerilo. Quas duas et penitus diuersas esse, et scriptorum in summo licet dissensu consensus, et Athenæi is maxime locus, vbi Amyntæ testimonium exstat, et luculenta vtriusque inscriptionis, si attente examinentur, discrepantia euincunt. Prorsus vt mirandum foret, quo modo Casaubonus, ne Schottum et alios nominem, vtramque confundere potuerit, nisi errorem singularis in hac re scriptorum obscuritas et perturbatio excusaret. Distinxit illas Buherius. Nec tamen satis accurate distinxit. Vt eo liquet exemplo, quod modo tractauimus: nam verba, ἀλλὰ νῦν τέθνηκεν, nullo modo recipienda erant in Anchialeam inscriptionem. Præterea scriptorum, qui vtramque manifesto confuderunt, errores detegere et castigare neglexit Buherius. Quid? quod omnes conciliaturus eo processit pag. 233. sq. vt Anchialeum monumentum fuisse cenotaphium coniiceret. Nobis per singula scriptorum exem-

pla obseruandum erit, qua ratione, confusis iis, quæ dirimenda fuissent, huius rei historia obscurata fuerit. Errauerunt autem non vno modo, vt non vbique decerni possit, quonam modo errauerint: plerique ita, vt Anchialeum monumentum pro Sardanapali sepulcro haberent. Quippe omnino minus notum fuit alterum monumentum. Notissima fuit eius inscriptio post Choerilum, ac sepulcralem esse videbat quisque: verum quonam loco primum inscripta fuisset, non quærebant curiosius. Quidam etiam ita errauerunt, vt quæ Nini, eadem et Anchialæ legi affirment. Interdum vtrum errauerint an vera præceperint, incertum facit ipsa dictio.

Initium faciamus ab antiquissimis auctoribus, quorum testimonia lacera et dispersa exstant per varios scriptores. Sunt illi quinque: Aristobulus apud Strabonem et Athenæum; is, cui debentur, vt postea docebitur, quæ super Sardanapali statuæ habitu gestuque leguntur apud Suidam et alios; is, qui præiuit Arriano; Clearchus apud Athenæum; denique Amyntas, qui alteram inscriptionem ex Nino vrbe seruauit. Ex his Clearchus fortasse eatenus errauit, vt Anchialeum monumentum pro sepulcrali haberet. Asseuerare tamen non ausim: nam ambigue loquitur. Aristobulus et Suidæ auctor non dubito quin omnia vera tradiderint de Anchialeo monumento. Quam mox notabimus in Suida confusionem, ea Suidæ, non antiquo illi auctori tribuenda est. Item vera prodidisse videtur Arriani auctor, in hac quidem re, de qua nunc sermo est. Etenim etsi inscriptionem ipsam interpolatam et præterea aliud prorsus falsum profert Arrianus: tamen auctorem non malum et satis antiquum prodit illud, quod præter Arrianum nemo docet: archetypum barbaricum, ipsis Assyriis testantibus, metro conceptum fuisse. Hoc vero suspensum relinquo, an hi, quos dixi, omnes alterum Sardanapali monumentum ex Nino vrbe eiusque inscriptionem ab Amynta proditam nouerint. Ac fortasse

vnus et alter in ea opinione versabatur, vt illud monumentum, quod in Nino vrbe fuisset, non Sardanapali, sed Nini regis fuisse crederent. Quod fuisse qui crederent, Phoenicis Colophonii exemplo a me probatum est.

Athenæus et Strabo quid ipsi senserint, non multum attinet quærere. Quantum ad Strabonem, post ea, quæ supra disputaui, vehementer dubito, an is non distinxerit duo inter se monumenta et duo epigrammata. Strabo, nisi fallor, epigramma Choerili tantum pro paraphrasi inscriptionis Anchialeæ habuit. Id ostendere videntur verba: *μέμνηται δὲ καὶ Χοιρίλος τούτων*. Eidem dubitationi monui obnoxium esse Stephani Byzantini locum. Ambiguo vocabulo, *μνῆμα*, etiam Arrianus vtitur. Quod tamen ibi malim *monumentum* quam *sepulcrum* verti, quum Arriani auctor, quod monitum est, non videatur de sepulcro cogitasse.

Plutarchus de fortuna Alex. M. orat. I. pag. 330. F. *τοῖς δὲ Σαρδαναπάλου μνημείοις ἐπιγέγραπται· Ταῦτ᾽ ἔχω ὅσσ᾽ ἔφαγον καὶ ἐφύβρισα.* Quibus verbis hoc significari potest, duo esse Sardanapali monumenta, simili inscriptione. Quod sane verum. At in altera oratione p. 336. C. manifesto erroris reus tenetur Plutarchus. Ibi de monumento eo, quod Anchialæ fuit, ita loquitur, acsi sepulcrale fuerit. Excusationem erroris idoneam habet, historiæ obscuritatem et fallacem vtriusque inscriptionis inter se similitudinem.

Eius erroris qui plura et crassiora exempla desiderat, adeat primum Suidam. Qui quum in v. *Σαρδανάπαλος* recte scripsisset, in *sepulcro* Sardanapali inscriptum fuisse: *Τόσσ᾽ ἔχω* et reliqua: at in altera disputationis parte, quæ incipit a verbis, *Σαρδαναπάλους ἐν β΄ Περσικῶν*, hæc narrat: *Nini, ἐπὶ τοῦ μνήματος αὐτοῦ, inscriptum esse: Σαρδανάπαλος ὁ Ἀνακυνδαράξου παῖς* etc. *et eamdem inscriptionem esse Anchiali: ταυτὸ* (liber ms. Gronouii: *τὸ δ᾽ αὐτὸ*) *καὶ ἐν Ἀγχιάλῳ.* Quæ eodem

modo apud Mich. Apostolium pag. 211. et in Photii lexico p. 370. leguntur. Egregia vero perturbatio. Quæ eadem est in Vaticana prouerb. appendice pag. 312. — *καὶ ἔστιν ἐπίγραμμα ἐπὶ τῷ τάφῳ αὐτοῦ Ἀσσυρίοις γράμμασι· Σαρδανάπαλος Ἀνακυνδαράξου παῖς* etc. *ταυτὸν ἐν τῇ Ἀγχιάλῳ τῇ πρὸς Ταρσὸν ἐπιγέγραπται.* Hesychius mutilus est in v. *Σαρδανάπαλος:* sed quæ exstant, euincunt, etiam Hesychium ad Ninum vrbem perperam retulisse Anchialeam inscriptionem. Ille quidem lapsus, quo inscriptionem, quam dicimus, Anchialeam sepulcralem fecerunt, etiam scholiastæ Aristophanis communis est. Qui error vel sic qualis fuerit, ambiguum est. Aut Anchialeum monumentum serio habuerunt pro sepulcro; aut in eo acquieuerunt, vt hanc inscriptionem, *Σαρδανάπαλος ὁ Ἀνακυνδ.* etc. sepulcralem dicerent, de loco, quo illud sepulcrum fuisset, securi. Verba scholiastæ, sed contracta, ad Suidam quoque assuta sunt in v. *Σαρδαναπάλους.* Loquor autem hic de anteriore parte scholii. Quæ in posteriore sequuntur, *διὸ λέγουσιν ἐν τῷ τάφῳ αὐτοῦ ἐπιγεγράφθαι*, bene habent. Cæterum scholiastæ illum errorem adscribendum esse censeo. Apollodorus, quem ibi laudat auctorem, haud dubie sciebat, inscriptionem Anchialeam non fuisse in sepulcro, sed in monumento Sardanapali. Igitur hic, puto, *μνῆμα* dixit, vt alii.

Omnino quatenus Apollodori manum conseruauerit, vel non conseruauerit scholiastes Aristophanis, magnæ supponendum est disceptationi. Heynius ad Apollodorum p. 1081. vbi scholiastæ locum apposuit: *Iamborum,* ait, *vestigia vides.* Namque coniectura est Heynii, eaque valde probabilis, Sardanapali inscriptionem in Chronicorum libris propositam fuisse ab Apollodoro; qui libri iambico metro scripti fuerunt. Hoc quod est de iamborum vestigiis, ex parte etiam Sylburgius, sed parum opportune, senserat in not. ad Brisson. de reg. Pers. princ. lib. I. pag. 331. ed. Led. Vbi

Q 2

quæ apud Strabonem Choerileo epigrammati vulgo leguntur subiecta, *ὡς τἄλλα — ἄξια*, ea in versum iambicum redigere posse sibi videbatur. Sylburgium nunc mittimus. Heynio hoc damus, iamborum vestigia esse in verbis scholiastæ. Quamquam vellem hoc disertius explicuisset. Vt nunc est, Heynii obseruatio ita comparata est, vt non illustret rem, sed obscuret et perturbet. Ac vereor, ne ibi quoque iamborum vestigia viderit Heynius, vbi nulla sunt. Hæc dico: *ἐδείμεν ἡμέρᾳ μιᾷ*, et: *ἔσθιε, πῖνε, ὄχευε.* Quæ sane iamborum membra, sed scholiastæ communia sunt cum vulgata inscriptione, quam Aristobulus prodidit. In hac vulgata inscriptione autem non plus metri est, quam in archetypo barbarico fuit: in quo metrum inesse ab Assyriis didicerat is, a quo Anchialeam inscriptionem mutuatus est Arrianus. Quare quæ metri vestigia contineant, duo tantum sunt apud scholiastam Aristophanis. Primum hoc, quod præbet: *Ταρσόν τε καὶ Ἀγχίαλον*, quum in antiqua et vulgata inscriptione sit: *Ἀγχιάλην καὶ Ταρσόν,* vel, vt Arrianus, *Ἀγχίαλον καὶ Ταρσόν.* Alterum, quod in fine inscriptionis iambicos pedes offert scholiastes.

Hoc quidem etiam alia de caussa considerandum est diligentius. Quum enim vulgo, apud scriptores longe plurimos, legatur *τούτου*, id est, *ἀποκροτήματος*: scholiastes *οὐδενός* habet: *ὡς τἄλλα οὐδενός ἐστιν ἄξια.* Cui adiungendus est Suidas in v. *ὀχεύω: Ἔσθιε, πῖν', ὄχευε· ὡς τάγε ἄλλα οὐδενός ἐστιν ἄξια. ἐν ἄλλοις, ὡς τάγε ἄλλα οὐ τούτου ἐστὶν ἄξια· τοῦ τῶν δακτύλων ἀποκροτήματος* etc. Quo loco Gronouius ex libro Lugdunensi enotauit *πεποίητο*, vnde coniicias *πεποίηται*, et in fine *Σαρδανάπαλος*, quod vulgato *Σαρδαναπάλου* præstat. Lectionis varietas illa, *οὐδενός*, maius in se momentum habet, quam opineris primo adspectu. Si *τούτου* legitur, eximia quædam exsistit inter statuam Sardanapali et inscriptionem responsio, et mutua explicatio. Quam tollebant, qui scripserunt *οὐδενός.* Quodsi quæratur, quis

primus hoc scripserit, ego non dubito Apollodorum dicere. Hoc credimus propter scholiastam Aristophanis. Qui scholiastes quum statuæ Sardanapali plane nullam mentionem faciat, etiam hoc aliquis coniecerit, neque valde repugno, apud Apollodorum de illa statua eiusque gestu nihil lectum esse. Circumspicientibus, si quæ alia sint huius lectionis, quam Apollodori dicimus, apud veteres scriptores vestigia, vnus se offert, sed præclarus testis, Plutarchus eo loco, quem paullo ante indicaui, de fortuna Alex. orat. II. p. 336. C. Namque Eudocia et Phauorino vti nolo, qui scholiastæ verba transcribere satis habuerunt. Et Suidas quoque in v. ὀχεύω non nisi ex scholiasta illo compertam habuit Apollodori lectionem. Verum ex antiquiore fonte, et haud dubie ex Apollodoro ipso, sed memoriter et breuitati studens hæc recitat Plutarchus:

"Ἐσθιε, πῖνε, ἀφροδισίαζε· τἄλλα δὲ οὐδέν.

Porro Apollodoro debetur ὄχευε. Quo ad Sardanapali lasciuiam propius accessit, quam qui scripserunt παῖζε. Inter quos qui est, Arrianus, in archetypo lasciuius vocabulum fuisse tradit. Eadem ratione coniuncta leguntur ἐσθίειν, πίνειν, ὀχεύειν in Epicteti libello cap. XLI. et apud Arrianum in Epict. II. XX. non minus rudi simplicitate: ἔσθιε, καὶ πῖνε, καὶ συνουσίαζε. In Sardanapali inscriptione ὄχευε non solum apud scholiastam Aristophanis et apud Suidam in v. ὀχεύω legitur, sed etiam ad alios quosdam scriptores peruenit: de quibus, quum singularem classem constituant, mox seorsum tractabitur. Id respuens Plutarchus honestius scripsit: ἀφροδισίαζε. Antiquissimum et modestissimum est παῖζε.

Apollodori iambicam paraphrasin qui restituere voluerit, hæc obseruare debebit, quæ apud scholiastam Aristophanis animaduertimus singularia. Quod reliqua attinet, ad vulgatam quam proxime accessisse putabitur Apollodorus. Falleretur tamen, qui scholiastæ ve-

stigia anxie legeret et deserere piaculum duceret. Scholiastes si Apollodori verba ipsa legisset et reddidisset, fieri nullo pacto potuisset, quin clariora et certiora metri teneremus indicia. Nunc quæ ille præbet, aliquanto maiorem quidem metri speciem habent, quam quæ Aristobulus et Arrianus, sed tamen multum absunt, vt versus efficiant. Quare vehementer suspicor, etiam Apollodori paraphrasi hoc accidisse, vt interpolaretur; et sic interpolatam ad scholiastam Aristophanis peruenisse. Ac nescio, an Plutarchus ex parte fidelius seruauerit Apollodori verba. Versus fortasse tales fuerunt:

Ὁ Σαρδανάπαλος Ὠνακυνδαράξεω
Ταρσόν τε κἀγχίαλον ἔδειμεν ἡμέρᾳ.
σὺ δ' ἔσθιε, πῖν', ὄχευε· τἄλλα δ' οὐδενός.

vel etiam *ἡμέρῃ*: vt per omnia eam dialectum retinuerit Apollodorus, qua primum edita esse videtur hæc inscriptio. Hos versus aliquis, vulgata inscriptione adhibita, eum in modum interpolauit, quem cognoscimus ex scholiis Aristophanis. Integrum locum adscribam: nam hæc est, quam tertiam dicebam Anchialeæ inscriptionis recensionem siue editionem.

Σαρδανάπαλος Ἀνακυνδαράξου παῖς, Ταρσόν τε καὶ Ἀγχίαλον ἔδειμεν ἐν ἡμέρᾳ μιᾷ. ἔσθιε, πῖνε, ὄχευε· ὡς τἄλλα οὐδενός ἐστιν ἄξια.

Eadem ex scholiasta Eudocia, et ex Eudocia Phauorinus: eo solum discrimine, vt et hic et illa *Ἀνακινδαράξου* scripserint et omiserint *ἔσθιε*. Denique ab eodem scholiasta Suidas in v. *ὀχεύω* ista habet, quæ adscripsi. Quod Plutarchus scripsit, *τἄλλα δὲ οὐδέν*, effecit, vt meminerim Pythermi Teii versum apud Athenæum XIV. p. 625. D. et apud alios, quos indicauit Schweighæuserus. In quo versu nemo obseruauit metrum esse Phalæceum, in scoliis frequentatissimum; modo recte scribatur:

οὐδὲν ἦν ἄρα τἄλλα πλὴν ὁ χρυσός.

Quare hoc exemplum valde antiquum et memorabile addendum est ad scoliorum, quas habemus, reliquias. Interea tantum abest, vt apud Athenæum in verbis, quæ præcedunt, necessario corrigendum sit σκολιὰ μέλη, pro eo, quod vulgo σκαιὰ μέλη; vt magis dubitari possit, an ita plane non debeat corrigi. Certe scoliorum genus, si quod aliud poeseos genus, natura sua repugnabat *austeræ* et *duræ* harmoniæ. Pythermi scolion respexit Hipponax vel Ananius hoc versu:

χρυσὸν λέγει Πύθερμος, ὡς οὐδὲν τἄλλα.

Restat quarta forma inscriptionis Anchialeæ. Quæ talis fuit:

Σαρδανάπαλος Ἀνακυνδαράξου παῖς Ταρσόν τε καὶ Ἀγχιάλην ἔδειμεν ἡμέρῃ μιῇ. ἔσθιε, πῖνε, ὄχευε· ὡς τάγε ἄλλα οὐδὲ τούτου ἐστὶν ἄξια.

Ea est in Vaticana prouerbiorum appendice, apud Mich. Apostolium, et apud Photium. Eamque Suidam in v. ὀχεύω agnoscere, mature animaduerteram. Ibi altera scriptura proposita, quam ad tertiam recensionem retuli, hoc addit: *in aliis esse*, ὡς τάγε ἄλλα οὐ τούτου ἐστὶν ἄξια. Vbi pro οὐ legendum οὐδέ. Verum hoc nisi ex libris mss. nemo demonstrare poterat, quod nunc demonstraturus sum. Quartam recensionem, cuius particulam in v. ὀχεύω agnoscit, totam integramque in v. Σαρδαναπάλους agnouit atque exhibuit verus et antiquus Suidas. Nothum et a Suida alienum est, quicquid ibi Arriano proprium præbent vulgares codices atque editiones. Id docet eximius ille codex Batauus. Ex quo quæ enotata sunt apud Seidlerum, inscriptionem totam, sed totam, talem sistunt, qualem dedi ex Photio, Vaticana appendice, et Apostolio: nam quod Ἀγχίαλον esse in codice iudicandum est ex Gronouii silentio, id Gronouii negligentiæ fortasse tribuendum est: in codice Ἀγχιάλην fuisse, pæne persuasum habeo. Potuit autem facile accidere, vt hoc vnum prætermitteret Gro-

nouius, quum tam multa haberet, ad quæ animus attendendus esset. Sed per me licet Ἀγχίαλον habuerit codex: differentia non est tanti. Itaque hæc sua a Photio, vel etiam ab antiquiore auctore acceperat antiquus et genuinus Suidas; et ab his eadem Vaticanæ appendicis auctor et Apostolius: ille, vt videtur, a Suida, et Apostolius a Photio. Qui postea Suidam interpolauit, quod factum esse non vno exemplo ostendi poterit ex codice illo Batauo, pro ea, quam Suidas dederat, inscriptione recensionem secundam ex Arriano, qui grauis auctor videbatur, intrusit. Quæ inde in vulgaribus Suidæ libris obtinuit, licet in his quoque antiquæ scripturæ vestigia superesse suspicer: quale hoc est, quod in libris mss. Parisinis non παῖζε, sed ὄχευε esse animaduertit Kusterus, plura fortasse animaduersurus, si libros illos excussisset diligentius. Nos recuperata Suidæ manu lætamur, et Seidleri liberalitatem, per quam recuperare licuit, eo prædicamus impensius, quo euidentius est, secunda recensione meliorem esse hanc quartam recensionem. Nimirum vulgatæ siue primæ recensioni, Aristobuleæ, longe est propior, inter eamque et tertiam quasi media. Sed hoc optime docebit comparatio. Ταρσόν τε καὶ Ἀγχιάλην, quantum ad ordinem verborum, ex tertia recensione: sed quod Ἀγχιάλην legitur, non Ἀγχίαλον, et quod ἔδειμεν ἡμέρῃ μιῇ, id ad primam redit. ὄχευε rursus ex tertia est. Desunt additamenta ista: σὺ δὲ ὦ ξένε, et τὰ ἀνθρώπινα s. ἀνθρώπεια. Singularia, neque alibi obuia sunt τάγε ἄλλα pro eo, quod cæteri, τἄλλα; et οὐδὲ τούτου. Illud quidem etiam in vulgato Suida legitur, quamuis non est apud Arrianum. Aliquid tamen huc irrepsit ex secunda. Hinc enim est, quod apud Apostolium habetur: σὺ δ' ἔσθιε, et in Photii apographo Dresdano: Ἀγχίαλον ἐδείματο ἐν. Idem apographum post Ταρσόν omittit particulam τε, et pro τάγε præbet τάδε: quæ mera aberratio est.

In iis, quæ postremo loco leguntur apud Suidam,

assuta ex scholiis Aristophanis, ita discedit codex Batauus, vt excerpsit Gronouius: Ὁ δὲ Σαρδανάπαλος οὗτος υἱὸς ἦν — ἡμέρᾳ Ταρσὸν καὶ Ἀγχ. — τῷ οἴνῳ — γράφει δὲ ἐπὶ — Ἀσσυρίοις — Ἀνακυνδαράξου παῖς. Quæ partim ad scholiastam Aristophanis propius accedunt, quam accedit vulgatus Suidas. Illud non excogito, quid sit τῷ οἴνῳ pro τοῦ οἴκου. τοῦ οἴκου etiam Vaticana appendix, in qua eadem leguntur, sed paullo breuiora et ante inscriptionem posita, quum apud Suidam post eam addita sint.

Quæ nunc dissipata est, nisi iniuria mihi gratulor, Anchialeæ inscriptionis obscuritas, ea etiam ad monumentum ipsum et Sardanapali statuæ habitum ac gestum spectat. Ac si quid siue in hac inscriptione siue in Choerilea illa profeci, dirimendo confusa scriptorum testimonia et explicando, fortasse id quoque efficietur, vt de statua Sardanapali paullo, quam adhuc, certiora doceantur, et singuli scriptores sua luce donentur. Negotii non multum ea difficultas exhibebit, quam ad Arrianum II. pag. 67. mouit Gronouius. Manus collisas habuisse Sardanapalum vult Arrianus; συμβεβληκὼς τὰς χεῖρας ἀλλήλαις, ὡς μάλιστα ἐς κρόταν συμβάλλονται. Quod secure accepit Hauercampius ad Orosii lib. I. XIX. pag. 74. Gronouius quod neque Athenæum neque Arrianum a Clitarcho sua accepisse concedit, recte facit, vt supra a me monitum est. Athenæus et Strabo ex Aristobulo hauserunt. An Arrianus ex Ptolemæo, incertum relinquendum esse existimo. In eo autem fallitur Gronouius, quod Arriani a reliquis scriptoribus discrepantiam eam, quæ pertinet ad habitum statuæ, ita explicandam statuit, vt iam antiquis temporibus, inter comites et scriptores Alexandri, diversas ea de re narrationes exstitisse dicat. Narratio est optimorum et plurimorum scriptorum consensu firmata, Schotto ad Prouerb. Gr. p. 313. Buherio p. 232. et aliis, ipsi etiam Gronouio, approbata, statuam Sar-

danapali non manus complosas, sed digitos collisos habuisse, medium et pollicem. Vt habet, qui peracturus est id, quod Romani *digitis concrepare* dicunt, Græci ἀποκροτεῖν, ἀνακροτεῖν, κροτεῖν τοῖς δακτύλοις, ὑποψοφεῖν τοῖς δακτύλοις, ἀποληκεῖν τοῖς δακτύλοις. Quæ omnia illorum scriptorum exemplis nituntur, qui de monumento Anchialeo loquuntur. Quam dictionis varietatem dum reputo, etiam ἐπικροτοῦντα videtur dicere potuisse Athenæus: vbi Stephanus in thesauri indice p. 424. scribit se malle ἀποκροτοῦντα. Et apud Suidam in v. ἀναποληκοῦν fortasse ferendum erit, quamuis insolens, ἀνακροταλοῦν, modo recte explicetur. At male Pergerus in Hesych. v. ἀπελήκησεν in hanc rem affert verba scholiastæ ad Aristoph. Pacem v. 548. Hic igitur si Sardanapali statuæ gestus fuit, vt fuit, eorum, qui ipsi inspexissent, latere potuit neminem. Quare quod Arrianus tradit de manibus complosis, ortum est ex narratione non bene percepta, quum aliquis, et fortasse primus Arrianus, κρότον siue ἀποκρότημα digitorum cum plausu, κρότῳ, manuum commutauisset. Est tamen, quod errorem Arriani quodam modo excuset. Quum enim natura rei ita ferat, vt qui digitis concrepare velit, id non vtraque manu faciat, sed tantum vna, sunt, qui Sardanapali statuam ambabus manibus erectis digitorum illum crepitum repræsentasse narrant. Suidas in v. Σαρδαναπάλους: τὸ γὰρ ἐφεστὼς (liber Gronouii: ἐφεστὸς) τῷ μνήματι ἄγαλμα ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς ἔχον τὰς χεῖρας πεποίηται, ὡς ἂν ἀποληκοῦν τοῖς δακτύλοις. Eadem idem in v. ὀχεύω, vbi vulgo ἐπεποίητο, sed Gronouii liber πεποίητο; Photius, Mich. Apostolius, Vaticanæ appendicis auctor. Iam vero hanc narrationem quo minus ex recentiorum scriptorum, fortasse Suidæ demum, errore natam esse existimemus, impedit vocabulum ἀποληκοῦν, quo isti scriptores, Apostolio excepto, omnes, iique soli, vtuntur. Reliqui ἀποκροτεῖν et sim. quæ supra recensui. Et Apostolius: ὥστ' ἀνακροτεῖν. Verbum ἀποληκεῖν omnino

satis rarum et dialecto memorabile, quippe cognatum cum Homerico ἐπελήκεον, non potest esse a Suida, sed antiqui cuiusdam auctoris manum prodit, ex quo illa sua descripserit Suidas. Quæ coniectura egregie confirmatur eo, quod hoc ipsum vocabulum ἀποληκοῦν explicatione dignum censuerit Suidas in v. ἀναποληκοῦν hoc modo: Ἀναποληκοῦν. τὸ εἴδωλον κροτοῦν τοῖς δακτύλοις, ἀνακροταλοῦν, ὥστ' ἀναποληκοῦν τοῖς δακτύλοις. καὶ ἔστιν ἐν τῷ Σαρδανάπαλος. Ex Porti editione et Mediolanensi locum adscripsi, quem non reperio apud Kusterum. Male autem Suidas: ἀναποληκοῦν, pro ἂν ἀποληκοῦν: quod in Vaticana appendice etiam mendosius est: ἀναποληχοῦν. Scriptoris nescio cuius, sed antiqui, vt credo, est ἀπελήκησεν apud Hesychium. Quis sit antiquus scriptor, qui primus docuerit, ambas Sardanapali manus erectas fuisse, nescimus. Callisthenem dixeris: sed nihil affirmo. Quicumque fuerit, non hoc voluit, Sardanapalum vtraque manu strepitum digitorum edidisse. Quid voluerit, ita clarum fiet, si comparaueris ea, quæ ex Aristobulo prodiderunt Strabo et Athenæus, vt nullus dubitationi locus relinquatur. Sardanapali statua, quod ex parte etiam Gronouius ad Arrianum diuinauerat, vtramque manum erectam habuit: dextram eo modo compositam, vt digitis concrepare videretur; sinistram extensam, quo monstraret quasi, quod inscriptio dicebat, τἄλλα. Vides, quam egregie se inuicem illustrent et suppleant Suidæ auctor et Aristobulus. Digitorum crepitum, et quod is non pertinuerit nisi ad dextram, accuratius, quam ille, indicauit Aristobulus; de sinistræ manus gestu, vt minus memorabili et magis ambiguo, monere neglexit. At Arrianus, vel is, qui obuersabatur Arriano, quum aliquid legisset de manibus erectis et de *strepitu*, ambiguitate dictionis deceptus, ex digitorum crepitu *complosas manus* effecit.

Hæc quum per se curiositate et explicatione digna erant, tum magnam vim habebit explicatio nostra, quo

soluatur is nodus, qui vnicus remansit. Etenim de statuæ Sardanapali positione et gestu nouum quid et plane singulare habet Plutarchus, quem aliquoties laudaui, de fort. Alex. p. 336. C. *ἀποθανόντος δὲ αὐτοῦ, λιθίνην εἰκόνα κατασκευάσαντες ἐπορχουμένην ἑαυτῇ βαρβαριστί, καὶ τοῖς δακτύλοις ὑπὲρ κεφαλῆς οἷον ὑποψοφοῦσαν, ἐπέγραψαν· ἔσθιε* etc. Vid. Buher. p. 253. De vocabulo *ἑαυτῇ* securum esse licet, in quo nihil, quod offendat. Quæritur, vnde sit, quod Sardanapali statuam saltanti similem fuisse scribat Plutarchus. Quem non sine idoneo auctore talia scripsisse, recte animaduertit Buherius. Ex Apollodoro non habet, quem statuæ aut nullam aut obiter mentionem fecisse dixi. At quid multa? Aut vehementer fallor, aut Plutarchi auctor est Clearchus. Ex quo quæ desumsit Athenæus pag. 529. E. quum valde perturbata sint et corrupta non leuiter, mihi Plutarchum adhibenti et epitomen Athenæi, quam peropportune contulit Schweighæuserus, hæc exorta est emendatio: *καὶ τελευτήσας δείκνυσιν ἐν τῷ τοῦ μνήματος τύπῳ τοῖς δακτύλοις, οἷου καταγέλωτός ἐστιν ἀξία ἡ περὶ τὰ λοιπὰ σπουδή· ὡς τὰ τῶν ἀνθρώπων πράγματα οὐκ ἄξια ὄντα ψόφου δακτύλων, ὃν πεποίηται ἐπορχούμενος δὶς ἐν χορῷ.* Pro *δὶς* coniectura non absona foret: *Λυδιστί*, ex Suida in v. *ὀχεύω*, et ex Plutarcho, qui: *βαρβαριστί*. Sed tenendum puto *δίς*. Hæc non ita disputaui, acsi vera esse putem, quod tradit Clearchus, et ex Clearcho Plutarchus. Adstanti, et fortasse saltaturo, conuenit aptusque est iste digitorum crepitus: saltanti non conuenit. Quo pacto natus fuerit Clearchi error, id vero facillime demonstrari potest, postquam patefeci, qualis statuæ gestus fuerit. Qui vtramque manum erectam, et læuam quidem extensam, qui gestus per se ambiguus, videret, ei accidere potuit, vt saltantem videre sibi videretur, et dextræ quoque digitorum strepitum ad barbaricum quoddam saltandi genus referret. Hoc igitur accidit ei, quem sequutus est Clearchus. Accedebat

Sardanapali vestitus, de quo statim audiemus Suidam: qui vestitus talis esse potuit, vt saltantis speciem quamdam conciliaret Sardanapalo. Atque hic repeti velim, quæ disputaui, quum versabamur in Apollodoro. Fuerunt, qui in Sardanapali inscriptione non agnoscerent vulgatam lectionem *τούτου.* Fuit inter hos, facile primus, Apollodorus; fuit post Apollodorum Plutarchus. Quare hi digitorum illum gestum non solum potuerunt ad saltationem referre, sed etiam debuerunt, quoniam in inscriptione nihil agnoscerent, quo ille referretur.

Denique animaduersione et memoria dignum est, quod Suidas in v. *ὀχεύω*, et Suidas solus, testatur: Sardanapali simulacrum fuisse *ἀνεζωσμένον Λυδιστί, μαρμάρεον τὴν ὕλην.* Fide dignum haud dubie, et ex eo scriptore desumtum, ex quo Suidam reliqua hausisse dixi, quæ habet de gestu statuæ. Hoc vero, quod spectat ad vestitum et lapidem, semel adscribere satis habuit; in v. *Σαρδαναπάλους* prætermisit, breuitatis caussa.

Semel ad Choerili epigramma reuerti licebit. Cuius interpretatio latina, quam supra ex Guarini Strabone protuli, quamquam, vt nunc est, recentissimæ ætati adscribenda esse videtur: tamen eius originem et compositionem illustrasse iuuabit. Nam quod obseruaui, græcum epigramma non exstitisse subito, sed duorum poetarum opera et industria tandem prodiisse integrum, idem et latino epigrammati accidit, mira fati similitudine: vt poetarum antiquissimorum et recentissimorum versus tandem coierint in vnum. Tum vero et hoc euenit, vt quæ tam sæpe confuderunt Græci, duo Sardanapali epitaphia, iterum confunderentur infima latinitatis ætate. Antiquissimi sunt, a Cicerone quippe facti, hi versus:

Hæc habeo, quæ edi, quæque exsaturata libido
Hausit: at illa iacent multa et præclara relicta.

Quos ex versibus Choerilo Iasensi antiquioribus expres-

sos esse dictum est. Ante oculos Ciceronem habuit Augustinus de ciuit. dei II. XX. *Quis hanc rempublicam sanus, non dicam Romano imperio, sed domui Sardanapali comparauerit? qui quondam rex ita fuit voluptatibus deditus, vt in sepulcro suo scribi fecerit, ea sola se habere mortuum, quæ libido eius etiam quum viueret, hauriendo consumserat.* Etiam Rabirio poetæ Ciceroniana illa obuersata esse dixeris, quum hæc exclamantem faceret M. Antonium: *Hoc habeo, quodcumque dedi.* Est apud Senecam de benef. VI. 3. Indicauit Buherius pag. 230. Ciceronis distichon in Anthologiam intulit Burmannus lib. II. ep. I. et sic admonuit pag. 187.: *Cæterum tertius versus ab aliis vulgo additur,*

Ede, bibe, lude: post mortem nulla voluptas.

Sed quem omisi, quia apud Ciceronem non habetur, et in Pithoei editione etiam desideratur. Eum fortasse alios addidisse, compositum ex verbis Anchialeæ inscriptionis his: *ἔσθιε, πῖνε, παῖζε,* et ex secundo alterius epitaphii versu: *θανόντι τοι οὔτις ὄνησις.* Versus, si hic versus dici potest, satis tritus et multis laudatus. Auctorem tamen, vel vnde primum innotuerit, nemo dicit, neque ego memini. Et ipse ignorasse videtur Burmannus. Aliquam fortasse lucem præfert Mich. Neander in eo libro, quem Gnomologicum inscripsit, lib. II. pag. 351. Vbi Choerili versus quatuor posuit cum interpretatione antiqua metrica, et hæc in margine adscripsit: *Eiusdem epitaphium est: quod Satyricus reddidit hoc versu: Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas.* Viderit hac de re qui volet: profecto non magna est. Qui versum istum fecit, aut plane non egit hoc, vt versum faceret; aut, quod lubentius credam, homo recentissimus et imperitus fuit. Quem ego vltima, *post mortem nulla voluptas*, non ex græco versu expressisse, sed surripuisse suspicor paullo antiquiori auctori, cuius distichon commemoraturus sum. At

priora: *ede, bibe, lude,* nunc in mentem mihi reuocant eum, qui inter romanos scriptores fortasse primus hæc tria hoc modo coniunxit. Liuius Andronicus: *adfatim edi, bibi, lusi,* apud Festum in v. *adfatim* p. 244. ed. Gothofr. Verum hæc ad Homeri Odysseam XV. 372. pertinent, vt obseruarunt Scaliger ad Festum, et Hermannus in libro de metris. Qui et metrum monstrauit. Ergo Liuius *αἰδοίοισιν* cum quibusdam serio accepit de pudendis. Quam rem supra attigi. Liuium ad Horat. Epist. II. II. 214. attulit Lambinus. Et fortasse ad illum respexit Horatius. Inter ea, quæ ibi contulit Lambinus, Bacchidæ inscriptionem referunt et faciunt ad illustrandum Choerilum, Plautina ex Milite III. I. 83. At in talibus eius imitationis, quæ vere imitatio dicitur, nulla suspicio. Priorum Choerili versuum hæc interpretatio exstat, ignoto auctore:

Cum te mortalem noris, præsentibus exple
Deliciis animum: post mortem nulla voluptas.

Vid. Anthol. lat. Burmanni lib. III. ep. CXLVI. p. 594. Apud Pithoeum est inter Prætermissa pag. 481. ed. Par. Qui *diuitiis* edidit. Auctor bene assequutus est græcorum versuum sensum. Sunt autem hi quoque versus recentioris auctoris. Ac fuit, fateor, quum ex fabrica virorum doctorum Italorum profectos, et Epicuri nomen fraudis caussa præscriptum esse putabam. Nam *Epicuri* nomen præscriptum est apud Pithoeum, et hinc apud Burmannum, qui tamen insulse hoc factum esse animaduertit. Pithoeus quidem, vnde illos acceperit, non dicit; neque antiquiorem Pithoeo fontem indicauit Burmannus. Bonifacius quidem, quem Burmannus laudat, vnde illos accepisse videatur, statim patefiet. Comparent iidem, vt vidimus, in Strabone Guarini latino. Id quod primum istam mihi suspicionem iniecerat. Interea, donec ea confirmetur, quod vereor vt fiat vmquam, statuemus versus ab homine latino quidem, sed recentioris ætatis, factos esse: qui Epicuri

nomen præscripserit, aut per errorem, aut callido consilio, ne ex Sardanapali inscriptione et ex græcis versibus translatos esse appareret. Guarinus autem, qui illos ex codice aliquo cognouisset, vidit, vnde essent, et quum boni essent, suæ interpretationi inserere non dedignatus est, vt Ciceronis quoque versus inseruit. Denique, vt integrum epigramma exsisteret, de suo addidit tertium versum et sextum:

Namque ego sum puluis, qui nuper tanta tenebam:
Hoc sapiens vitæ mortalibus est documentum.

Quos ab ipso Guarino procusos esse pæne persuasum habeo. Hæc sic statuo, quandoquidem epigrammatis, quale Guarinus exhibet, testem non habeo antiquiorem Guarino ipso. Cui et hoc tribuendum censeo, quod in quarto versu pro eo, quod est apud Ciceronem, *iacent*, legitur: *manent.* Scilicet bono viro hoc videbatur aptius esse et magis respondere græco verbo λέλειπται. Apud Ciceronem vulgata et quantum video communis librorum lectio est: *iacent;* eamdemque fuisse in Moroni codice inscriptionum latinarum refert Burmannus. *manent* post Guarinum Neander et Pithoeus.

Illud distichon: *Cum te mortalem noris* etc. cum epitaphio Sardanapali latino coniunxisse Bonifacium de componendis epitaphiis pag. 161. testis est Burmannus l. l. p. 594. Bonifacii librum nusquam inueni: sed Guarinum sequutus esse videtur. De Guarino nihil compererat Burmannus. Etiam Neander vtrumque distichon, Ciceronis et alterum, apposuit in Gnomologico p. 349. sq. Qui liber prodiit anno 1564. Non vidi Athenæi interpretationem latinam, quam curauit Natalis de Comitibus. Sed fortasse etiam hic illa disticha inseruit. Si inseruit, haud dubie a Guarino ea accepit.

De metro Choerileo.

Choerileum quod dicimus metrum, ex græcis grammaticis vix vnus et alter commemorant, Choerilei nomine, quod sciam, nullus; latini sæpius, et hoc et aliis nominibus. Vid. Diomedes lib. III. p. 512. med. Seruius p. 1820. sq. Marius Victorinus p. 2514. fin. 2518. med. et p. 2557. 2558. 2559. Plotius p. 2633. sq. Ex quibus Plotius de hoc metro disputauit vberrime, sed pro suis ille viribus. Totum locum adscribam emendatum, et verborum ordine nexuque restituto. Nam etsi de metris sæpe falsissima tradunt grammatici, operæ pretium tamen est cognoscere, quid tradant. Consistam autem in priori disputationis parte, quæ vehementer perturbata est librariorum culpa, qui decepti fallaci verborum similitudine et crebra repetitione, ex vno versu in alterum aberrassent. Nisi pars culpæ in Putschium transferenda, vel in eum, cuius apographo Putschius vsus est. Reliqua et satis plana et inepta: nam ineptiæ sunt quæ Plotius commentus est, octo Choerilei metri schemata. Igitur hæc scripsit Plotius: *Choerileum metrum, quod et Diphilium et Angelicum nuncupatur, constat penthemimerica cæsura, et syllaba, et altera penthemimerica. Vnde est metrum Hexametrum catalecticum: vna enim syllaba deest, vt sint in eo pedes sex. Sed exemplis schemata octo doceamus. Ponamus igitur schemata quatuor huius metri, sed duplicata vtriusque cæsuræ penthemimericæ, sicut ante docui syllabam adiicientes. Primæ cæsuræ est Græcum exemplum:*

ἡνίκα μὲν βασιλεὺς ἦν Χοιρίλος ἐν Σατύροις.

Latine sic:

Inter enim pecudes stant corpora magna boum.

Bini dactyli cum suis syllabis, id est: Arma virumque cano, bis; et vna syllaba in medio plus, id est, in fine primæ cæsuræ: in qua syllaba finiatur pars orationis necesse est. Binis spondeis cum suis syllabis, et vna in medio plus:

Mox et frumentis est, mox et frumentis.

Hoc præcipit, obseruari debere in metro Choerileo eam cæsuram, quæ penthemimeres vocatur. Eamque Plotius, græcum versum sequutus, in omnibus, quæ sequuntur, exemplis obseruauit. Bene hoc. At præterea etiam post eam syllabam, quam *plus* esse dicit, incidendum putat. Quod numeros versus frangit. Enimvero Plotius doctrinam suam et exempla omnia conformauit ad versum græcum: in quo quum forte fortuna post ἦν incisionis species esset, non vidit, eam legendo posse ac debere celari, sed legitimam incisionem putauit. Rectius versum mensi sunt alii grammatici, quos statim videbimus. Præterea hoc monere satis habeo, quum Plotius dicat: *Primæ cæsuræ est græcum exemplum*, id idem esse, ac si dixisset *primi schematis.* In tertio Plotii exemplo,

Omnia Mercurio dant Musæ dulces,

vna syllaba deest, siue librariorum, siue Putschii, siue auctoris ipsius incuria. Fortasse post *Mercurio* excidit *nunc.* Quarti schematis, quod tale est ex mente Plotii:

— — — — — | — | — ◡◡ — ◡◡ —

exemplum excidit. Sed mitto hunc hominem cum schematis et exemplis suis.

Meliora sunt, quæ finxerunt Diomedes, Seruius, Marius Victorinus, Choerilei versus exempla:

Optima Calliope miranda poematibus.
Pulcra puella comas ambit sibi palmitibus.
Alma parens genitrix diuum decus Oceano.
Nunc age Pierios versus dea Calliope.

De genere quod in his sit metri, varia tradunt. Marius p. 2558. ex pentametro elegiaco deriuare velle videtur. Contra Plotius p. 2634. pentametrum elegiacum metri Choerilei speciem dicit. Seruius l. l. pentametrum hypercatalectum appellat. Verum est, quod Plotius pag. 2633. dicit, *metrum hexametrum catalecticum*, vel etiam accuratius Marius p. 2518. *Hexametrum catalecticum in syllaba.* Legendum videtur *in syllabam.*

Hæc veri sunt similia, certa non sunt. Namque omnia grammaticorum auctoritate nituntur, et latinorum. Verum isti a Pindaro lucem confirmationemque et accipiunt, et mutuo afferunt Pindaro.

Apud Pindarum multa hexametri catalectici speciem habent. Exempla congessit Hermannus in commentatione de metris Pindari p. 222. Quæ tamen idem remouit omnia. Et profecto dubitari nequit, quin longe pleraque remouenda sint. Etenim si versum accipimus hac cæsura:

καὶ μέγαν ὅρκον ὀμόσσας, τοῦτό γέ οἱ σαφέως;

si etiam hoc ferimus, vt exstant quædam eiusmodi exempla, vt illa syllaba, post quam eo modo inciditur, pro ancipite habeatur: quid tandem est in tali versu, cur versus esse videatur? quid esse potuit, cur Pindarus tam male cohærentia in vnum versum cogere, quam disiuncta per duos versus efferre maluerit? Ergo Hermannus prudentissime ita administrari ista exempla iussit, vt singulis locis bini exsisterent versus. At nescio, an vnum tamen carmen sit, idque, si recte memini, solum in Pindaricis, in quo hexameter catalecticus placuerit Pindaro: Nemeorum XI. vs. 3. In quo carmine nusquam praua ista cæsura, quæ versum fran-

git, post quartum pedem; at in singulis versibus, vno tantum versu excepto, illa conspicitur, quæ penthemimeres dicitur. Atque hoc vnico loco, vt monuit Hermannus, metri illud genus agnoscit et ἔπος παρὰ συλλαβήν appellat scholiastes Pindari metricus. Itaque in hoc carmine placuit Pindaro, vt, quæ membra alibi per singulos versus efferre soleret, in vnum versum coniungeret, ea cæsura adhibita, quæ huic versui notam et characterem suum imprimeret. Hæc quum sit huius metri origo, mirum non est, quod in tertia sede semper seruatus sit spondeus. At omnino rarum fuit hoc metri genus. Scholiastæ illi Pindari ego ex græcis grammaticis vnum habeo quem addam, si operæ pretium est addere, scholiastam Hephæstionis pag. 89. Pau. Ἑξάμετρον δὲ καταληκτικὸν μὲν εἰς συλλαβὴν ἐκ τῶν Ὁμηρικῶν οὐκ ἔχομεν· εἴ που δέ τις ἐντύχοι, ἐστὶ τὸ μιᾷ συλλαβῇ περιττεῦον τοῦ πενταμέτρου ἀκαταλήκτου.

Pindari carmen latuit eos, quos nunc habemus, grammaticos latinos. Quorum tamen exempla recens ficta Pindaricis respondent. Ea intelligo, quæ promunt Diomedes et alii. Ad hanc normam igitur exigendus est ille versus, quo abutitur Plotius. In eo quæ incisio est post ἦν, eam tenendum est non veram incisionem esse. Quæ versum euerteret. Nimirum vt hic versus non malus hexameter heroicus futurus esset:

ἡνίκα μὲν βασιλεὺς ἦν Χοιρίλος ἐν Σατύροισιν;

ita hic versus bonus est:

ἡνίκα μὲν βασιλεὺς ἦν Χοιρίλος ἐν Σατύροις.

Et simili ratione Pindari versus ille se tuetur, quem vnicum legitima cæsura carere dixi:

καὶ ξενίου Διὸς ἀσκεῖται θέμις ἀενάοις.

vbi legitimæ cæsuræ vice fungitur cæsura proxime sequens.

Versus est manifesto melicus. De cuius origine

quæ modo disputabam, non eo consilio disputaui, vt pro inuentore haberetur Pindarus. Immo haud contemnenda est obseruatio Diomedis, inuentionem Stesichoro tribuentis. Atque in eo acquiescendum, et metrum hinc *Stesichorium* potius dicendum est, quam *Choerileum*. Multum illo loco Putschio debet Diomedes. Cuius editiones antiquæ et antiquissimæ non solum *terpsichorum* præbent pro *Stesichoro*, sed etiam ita corruptæ sunt et misere contractæ, vt angelici metri, quod dicit Diomedes, descriptio prorsus oblitterata sit et commissa cum descriptione priapei; quasi hoc sit angelici siue choerilei metri exemplum: *Incidi patulum in specum procumbente Priapo.* Quæ, nescio an primus, ex codicibus correxit et suppleuit Putschius. Contuli autem Diomedis editiones has: principem, nam quin ea princeps sit, non dubito, quæ cum Diomede continet Phocam, Caprum, Agroetium, Donatum, Servium et Sergium, sine anno et sine loci indicio, sed apposito in fine Nicolai Iensoni Gallici nomine, et asseruatur in bibl. Regia Dresd. Mediolanensem a. 1513. per Jo. Angelum Scinzenzeler, quæ eosdem complectitur, et Prisciani epitomen et Probi quædam; Coloniensem a. 1518. quæ solum Diomedem continet, emendatum, vt fert præfatio, ab Hermanno Buschio; Lipsiensem a. 1542. quæ Donatum adiunctum habet. Ac Lipsiensi quidem qui præfuit, Ioannes Cæsarius, quum iter a Buschio coeptum se continuasse scribat, et Diomedem ita emendatum promittat, vt nulla porro labes insideat, *Stesichori* nomen illo loco bene restituit, sed reliqua longe, quam Buschius, audacius, id est, infelicius administrauit. Iensoniana et Mediolanensis hæc præbent: *angelicum metrum celeritate nuntiis aptum terpsichorus inuenit Vna enim syllaba ultimam hexametro efficit: id tale est: Incidi patulum in specum* etc. Eadem Buschius dedit, asterisco apposito post verbum *inuenit.* At Cæsarius ita: *Angelicum metrum,*

celeritate nuntiis aptum, Stesichorus inuenit. Id tale est, Incidi patulum etc. resectis iis, quæ viam emendandi aperire possent. Vt vel hoc exemplo appareat, etiam in illo grammaticorum latinorum genere religiosam antiquissimorum editorum fidem præstare male sagaci emendatorum acumini. Qui emendatores iam ante Putschium exstiterunt, et Putschio infeliciores, quippe codicum auxilio destituti. Eius rei aliud exemplum ante oculos est prorsus lepidum. De versu Saturnio hæc præcipit Diomedes Putschii: *Saturnium in honorem dei Nœuius inuenit, addita syllaba ad Iambicum.* Ex codice, vt puto. Ad quem vide quam prope accedat editionis principis et Mediolanensis lectio: *Sat in honorem dei Venus inuenit addita* etc. At quid Buschius et Cæsarius? Priora penitus resciderunt; ex *Venere* fecerunt *Venusinum*, sic: *Venusinus inuenit addita* etc.

Tutissimum fore dixi, vt *Stesichorium* metrum dicamus, Diomedis auctoritate. Si necesse est, vt nomen quæratur. Quæ vulgo circumferuntur huius metri appellationes, nisi retinere velimus, vt sancitas grammaticorum latinorum vsu, neque a testium auctoritate prorsus firmæ sunt, neque in se habent, quo magnopere commendentur. Perlustrabimus singulas.

Angelicum metrum, vnico nomine, appellat Diomedes l. l. p. 512. Quam appellationem iam cognouimus ex Plotio. Rationem addit Diomedes: *celeritate nunciis aptum.* Inepte. Sic quem græci grammatici trochaicum dimetrum acatalectum, Marius Victorinus p. 2531. *Angelicon* vocari testatur. An et hoc metrum *nunciis aptum?* Certe non minus aptum quam illud. Tertium quoddam *angelici* genus, idque ex ipso Virgilio, nobis propinat auctor fragmenti eius, quod cum Censorino edi solet. Qui cap. XIV. p. 163. Cantabr. *Angelicus*, inquit, *numerus syllabam coarctat hexametro: vt, Hectoris Andromache Pyrrhin' connubia*

seruas. Sic correxerim. Cf. cap. XV. p. 165. Homo imperitissimus quæ ab aliis grammaticis accepisset, mirum in modum detorsit. Virgilii versus vna syllaba abundare illi videbatur, quæ *breuianda*, id est, legendo obtegenda et opprimenda esset. Atque hoc *angelicum* appellat. Quod nemo non videt alienissimum esse ab eo genere, quod *angelicum* vocant Diomedes et Plotius.

Verum hoc metri genus etiam altero nomine, *Diphilium* appellat Marius Victorinus. Quod inde restitui Plotio. Vel potius *Diphilicum* scripserat Plotius. Putschius ibi vulgauit *Delphicum*. At *Delphicum* his grammaticis est ipsum metrum hexametrum heroicum: v. eumdem Plotium p. 2629. et Atilium Fortunat. pag. 2690. vbi quod legitur *deliacum*, corrigendum est: *Delphicum*. Similiter *Pythius* appellatur versus hexameter heroicus, quum ab latinis grammaticis multis, tum a græcis, veluti ab Hephæstionis scholiasta pag. 22. Vnde autem illud metrum, de quo nunc loquimur, *Diphilii* cognomen acceperit, alius dicat. Ego Diphilum, quem eo metro vsum esse credam, noui nullum. Nisi ille Diphilus fuerit, de quo mentio apud scholiastam Aristophanis ad Nubes v. 96. Quod parum probabile. Nominis quædam similitudo in mentem mihi reuocat Philisci Comici versum, quem a Salmasio acceptum posueram in Schedis criticis pag. 27. Eum postea cognoui Salmasio innotuisse ex Anthologia: v. Holsten. ad Steph. Byz. v. *Πειραιός*, et Huschkii Analecta crit. pag. 290.

Denique *Choerileum* metrum dicit Plotius; *Choerilium* Marius Victorinus p. 2514. 2558. et *Chœrilium* Seruius p. 1820. Vossius, vbi de Choerilo Samio agit, de histor. gr. IV. VII. satis confidenter: *Ab hoc nomen accepit Χοιρίλειον μέτρον; de quo Suidas, Marius Victorinus, et Photius, in iis, quæ de re metrica reliquerunt. Plotium* voluit dicere, et *Seruium*, non *Suidam*, qui de hac re nihil. Vossio ista præiuit Meur-

sius ad Hesych. Milès. p. 221. Paullo sapientius Gyraldus de poet. hist. pag. 108. Choerilium metrum dictum putat a Choerilo tragico. Verum neque hic, neque ex iis, quos vidimus, Choerilis vllus tales versus fecisse videtur. Alium autem Choerilum non nouimus, qui poeta fuerit. Igitur neque ab inuentore metrum *Choerileum* nuncupari potuit, neque, vt grammatici loquuntur, a frequentatore. Vt aliunde nominis origo deducenda sit. Sane leuem caussam interdum habent et longe repetita sunt metrorum apud grammaticos nomina. De hac appellatione ego sic statuo. Metrum illud non valde frequens fuisse omnia ostendunt. Ostendit græcorum grammaticorum silentium; ostendunt latinorum grammaticorum testimonia, qui tantum non omnes fictis exemplis vtuntur. Pindarus quos habet versus illo metro scriptos, non multis innotuisse videntur. Vnum ad grammaticos latinos exstat exemplum græcum:

ἡνίκα μὲν βασιλεὺς ἦν Χοιρίλος ἐν Σατύροις.

Hoc ego quin vere græcum sit et antiquum nullus dubito. Latina quandoque exempla sibi fingentem Plotium ipsi vidimus. Sed eumdem græca fingere, quam ex græcis grammaticis siue ex romanis antiquioribus exempla antiqua græca depromere maluisse, nemo demonstrauerit. Atque græca Plotii exempla, habet autem multa, partim sunt notissima, partim si quis eam operam impendere velit, exquiri poterunt, partim etiamsi sint, quæ alibi non exstent, talia sunt, vt antiquitatis notam habeant. Denique certe hoc, de quo nobis sermo est, tale est, quod nulli grammatico in mentem venerit fingere. Haud dubie autem illud a grammaticis græcis demum ad latinos venit, quorum vnus alteri tradidit, donec ad Plotium delatum est. Sic quum multo illud tereretur vsu, ab eo, quod inesset mentio *Choerili*, coeperunt metrum *Choerileum* dicere siue *Choerilium*. Id vero a latinis demum grammaticis, vt videtur, factum est.

Quodsi quæratur, de quonam Choerilo loquatur illius versus auctor, Choerilus Atheniensis Tragicus est. Ita auctor descripsit artis tragicæ antiquissimæ tempora, inter cuius præsides et auctores iure nominatur Choerilus Atheniensis. Tragicæ artis tempora dixi: namque eorum opinioni, qui Choerilum Tragicum etiam satyricas fabulas docuisse suspicati sunt, nihil accedit ex hoc loco ponderis. Cæterum hoc, *ἡνίκα βασιλεὺς ἦν*, eleganter dictum est, et quodam modo refert sollemnem græcis hominibus imaginem, qua res valde antiquas *Saturni regno* assignare solebant: veluti quod Cratinus apud Athen. VI. p. 267. E.

— *οἷς δὴ βασιλεὺς Κρόνος ἦν τὸ παλαιόν.*

Alias artis tragicæ initia Thespidis nomine nuncupant. Aristophanes in Vespis 1470. *ὀρχούμενος*

τἀρχαῖ' ἐκεῖν', οἷς Θέσπις ἠγωνίζετο.

Satyrus quum omnino omnis tragoediæ, etiam cultioris, persona primaria et quasi præses haberetur, vtpote a quo repeteretur origo tragoediæ, tum vero optime repræsentabat tragoediam Choerileam, quæ proxima fuit ab origine illa.

Marius Victorinus etiam *Choerilium ἀμφιλιπὲς* quoddam commemorat pag. 2559. Cuius hoc comminiscitur exemplum:

Tibi namque decens lucet rosa vertice.

Absurda appellatio. Quis est, qui hunc versum ab eo metro, quod Choerileum dicitur, repetere velit? Aeolicus est. Si versus est. Nam spondeus dubitationem iniicit.

Hexametros catalecticos in syllabam duos fecit is, qui Syringem lusit, quod carmen vulgo additur Theocrito. Verum hi quum ea tantum lege sint compositi, vt hexametro heroico breuiores essent vna syllaba, non pertinent ad metrum Choerileum.

Dum in eo versor, vt extrema huic libello accedat manus, interuenit, quem cupide prospexeramus, Her-

manni liber de metris, egregia opera instauratus et expolitus. In quo quod nihil insertum legitur de metro Choerileo, hoc est, quo quæ ego disputaui, mihi ipsi poterant fieri incerta. Iusto tamen iterata deliberatione. Sed quoniam ibi, Alcaicam stropham vbi explicat Hermannus, nobile Sapphus fragmentum tractat pag. 689. ab Aristotele seruatum, in quo memini, quum ego quoque iuuenilem, vel potius puerilem ponebam operam: fortasse non ingratum fuerit viro summo audire, quid ibi scriptum præbeat codex Aristotelis Regius, cuius mentionem feci ad Choerili fragmenta. Igitur sic fortasse legenda sunt Sapphus verba, ex vestigiis codicis Regii:

αἰ δ' εἶχες ἐσθλῶν ἵμερον ἢ καλῶν,
καὶ μή τι Fειπῆν γλῶσσ' ἐκύκα κακόν,
αἰδώς κέ σ' οὐκ ἂν εἶχεν ὄππατ',
ἀλλ' ἔλεγες περὶ τῶ δικαίω.

Vs. 3. codex: *αἰδὼς κέν σε οὐ κἂν χεν ὄμματα.* Particulas *κεν* et *ἂν* coniungere, etsi recentioribus magis vsitatum fuit, quam Homero, sunt tamen exempla apud Homerum. Quod loquendi genus quo tempore in frequentiorem vsum venerit, quo non, quis definire audeat? Quod *εἶχες* scripsi vs. 1. feci et hoc codicis regii auctoritate. Scaligeri, nisi fallor, emendatio est, ad Eusebium pag. 85. proposita: *αἰ δ' ἴκέ σ' ἐ. ἵμερος. ἵμερον* cum omnibus codicibus noster. Idem, quod non superfluum fuerit monere: *ἐσθλῶν.* In vltimo versu recte nunc editur: *περὶ τῶ δικαίω.* Aliam suspicionem mouere posset, quod legitur in nostro: *περὶ ὧι δικαίωι:* iuxta apposita littera iota, vt fieri solet in hoc codice. Et assentiunt antiquæ editiones. Sed præstat facillima et planissima illa emendatio. Dialectum quod iuuerit, nihil affert codex regius. Qui in secundo versu post *τὶ* intrusum habet *τ'*, vt in Alcæi versu: *θέλω τί τ' εἰπεῖν.* In eodem pro verbo *ἐκύκα* lacuna est.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

p. 33. med. Etiam in Florentina editione Apollonii χοιρίλος est.

— 35. v. 10. vel pag. 546. vol. VII. ed. Harlesii, qui Fabricii coniecturam, leuem illam per se et infelicem, repetere satis habuit.

— 39. v. 14. etsi qua alibi occurrit *vspiam* vel *nuspiam*, leg. *vsquam*, *nusquam*.

— 57. v. 22. leg. Ἐκχοίρηξες.

— 74. v. 12. a fine: *Quod p. 74. de Asii fragmento disputans* χθονὸς εὐρέος *immanem dicis soloecismum, vide ne sis iusto seuerior. Vt enim rara sint exempla adiectiuorum quæ oxytona in* υς *exeunt,* κοινῶς *vsurpatorum, passim tamen occurrunt, idque in versu heroico. Homerus Odyss. XII.* 369.

καὶ τότε με κνίσσης ἀμφήλυθεν ἡδὺς ἀϋτμή.

Theocritus XX. 8.

ὡς μαλακὸν τὸ γένειον ἔχεις, ὡς ἁδέα χαίταν.

Moschus III. 83.

καὶ σύριγγας ἔτευχε, καὶ ἁδέα πόρτιν ἄμελγε.

Hæc ad me dedit Schæferus: ac fateor noua me docuisse virum eruditissimum. Nimirum similia noueram non pauca, veluti, vt vnum commemorem, Orphicum ὑλήεντι κολώνῃ ex Argonauticis v. 263. in quo ego, quod obiter dictum esto, imitationem animaduertere mihi visus sum, sed infelicem, Homericæ dictionis: ὑλήεντι Ζακύνθῳ. Verum illa exempla nominum adiectiuorum in υς non recordabar. Itaque, etsi vel sic dubitatio restat, an χθονὸς εὐρέος non dicturus fuisset Asius, quippe cui obuersari debebat ex Homero εὐρεῖα χθών: soloecismum certe crepare non debueram. Cæterum vellem de coniectura mea, πέδον, sententiam mihi suam aperuisset Schæferus.

Qua coniectura neque nunc noui quod melius sit.

p. 108. seq. Si quid erat, quo suspecta mihi reddi posset vulgata scriptura πελάσσαι, hoc erat, quod intellexi, eam male habere Schæferum. Qui nouam mecum communicauit emendationem. *P.* 108. *sq. vereor ne vulgatam in Choerilo scripturam,* πελάσσαι, *frustra defenderis. Hoc enim verbum nihil aliud significat nec potest significare, quam* admouere *aut* appropinquare, *siue res, cui quis* πελάζει, *indicata sit, siue ex orationis serie* ἐννοηματικῶς *subaudienda. Hoc autem loco talis res nusquam commemoratur. Præterea non hoc optat poeta, vt* νεοζυγὲς ἅρμα, *quocunque lubet,* admoueat, *sed vt talem currum* conscendat, *tali curru* vehatur. *Deest poetæ* ἅρμα νεοζυγές: *nedum vt conscensum quoquam* πελάσαι *possit. Quæ cum ita sint, Hemsterhusium vere scripsisse puto* ἐλάσσαι. *Sed aliquantillum restat faciendum, vt locus perpurgetur. Scribo:*

πάντη παπταίνοντα νεοζυγέ' ἅρματ' ἐλάσσαι.

Iam apparet, vnde natum sit νεοζυγές: *scilicet ex confusione apostrophi cum compendio tachygraphico syllabæ* ες, *de qua dixit Bastius ad Gregor. Corinth. Præterea intelligitur, quæ sit origo litteræ* π *in vulgata scriptura* πελάσσαι. *Denique* νεοζυγέ' ἅρματα *compares cum Homerico* περικαλλέ' ἄεθλα *Odyss. XXIV.* 85. *et* 91. Acute et caute omnia: veluti hoc quod elisam litteram in νεοζυγέ' exemplo tuitus est Homerico. Quod exemplum ego sufficere credo, licet quæ elisio fit in secunda syllaba dactyli, aliquanto lenior sit ea, quæ in tertia. At nondum potui a me impetrare, vt vulgatum πελάσσαι desperem. Quod rem desiderat vir eruditissimus, ad quam *appropinquare* dici possit poeta, ego loci indicium suppleri posse putabam ex voc.

πάντη, et ex præcedentibus, vbi arenæ siue curriculi notionem intulit Choerilus: ὕστατοι ὥστε δρόμου καταλειπόμεθ'. Deinde verissimum quidem est, antequam nouum currum admoueret quoquam poeta, id agi debuisse, vt haberet talem currum: sed hæc duo inter se miscuisse videtur, vt poeta. Nec male: etenim nouo curru vehi Choerilum, id tum demum appariturum erat, nouusque currus tum demum se præstiturus erat tamquam nouum, quum ad loca nemini ante trita appropinquasset.

p. 126. v. 5. pro *poetis* leg. *scriptoribus*.

— — v. 9. seqq. Pudet hæc scripsisse. Audiamus Schæferum benigne castigantem. *P. 126. meam de Xenophonteo loco sententiam secus cepisti. Citaui illum ad Gregor. Cor. non vt quidquam mutarem, (nam sanissimus est,) sed quod ibi reperissem exemplum commutationis adiectiuorum* νομικὸς *et* νόμιμος*: cuius commutationis aliud exemplum commemorauit Kiesslingius ad Iamblichi Protrept. p. 255. Nam, quod fugit te sola, vt opinor, vtentem Weiskiana editione Xenophontis, Schneiderus ad l. c. notauit hæc: ,,* νόμιμοι*] Editionis Paris.* νομικοὶ *Bessario vertit* iuris consulti.*" Quod autem scripsisti:* Infrequens est hæc vocis νόμιμος significatio, μνημονικὸν ἁμάρτημα *esse deputo. Xenophonteorum quidem exemplorum huius vsus quantum satis sit, habet Lexicon Sturzii.*

— 130. v. 12. a fine: λιμνῶν etiam Lipsiensis 1691. sed princeps Basileensis λίμνῃ.

— — v. 8. a fine: in Eusebii loco editio princeps Roberti Stephani p. 241. non habet capitis inscriptionem *Χοιρίλου π. π. Ἰ.*

— 136. med. Quæritur, vnde Choerilea habeat Iosephus. Disputationis seriem reputanti, quæ est apud Iosephum, veri simile erit, eum poetæ librum adiisse ipsum. cf. pag. 100.

— — — τῷ δ' editio Iosephi princeps Basileensis. Semel moneo, Lipsiensem a. 1691. hoc loco

prorsus referre eam editionem, quæ prodiit anno 1611. Igitur ad hanc referenda sunt, quæcumque prædicaui de Lipsiensi siue Coloniensi.

p. 157. init. Editio Iosephi princeps: *ὤκεεθ'*.

— — v. 6. Editio Eusebii princeps: *Ωκουν δ' ἐν σ*. Ea, præter hoc, in Choerili verbis prorsus consentit cum Lipsiensi siue Coloniensi.

— — v. 6. a fine: *ἐνὶ* Iosephi editio princeps.

— 142. v. 11. Recte interpungunt Iosephi ed. princeps cum Hauercampio, et Eusebii editio princeps et Lipsiensis siue Coloniensis.

— 145, v. 8. *τροχοκούριδες* habet Iosephi ed. princeps, vt cæteræ.

— — v. 9. a fine: leg. deleto commate: *poetæ qui*.

— 150. med. leg. 1524. Editio Iosephi latina, continens de bello Iudaico libros septem et contra Apionem libros duos, quæ est in bibl. Reg. Dresd. impressa Veronæ per Magistrum Petrum Maufer Gallicum a. 1480. quum in reliquis consentiat cum Basileensi 1524. primo *Helladam*, huic scriptori conuenientius, deinde *transibat*, quod melius, denique habet *Aphaltis*.

Eusebii Præparationis euangelicæ interpretationem latinam, confectam, quod Fabricius docet, a Georgio Trapezuntio, splendide editam Venetiis a Nicolao Iensono anno 1470. cuius editionis exemplar est in bibl. Dresd. quum euoluissem animi caussa, an forte delicias offenderem Rufini similes: ipse sensi, de quo queruntur viri docti apud Fabricium bibl. gr. VII. p. 344. Harles. et apud Leonem Allatium in Fabricii bibl. gr. vol. X. pag. 724. ed. Hamb. De tota Eusebii disputatione nihil dedit interpres ille præter hæc:

Sed iudaicæ gentis Chorilus (sic) *etiam poeta priscus meminit: et multos eorum cum Xerxe in græciam militasse affirmat.*

Choerili versus et reliqua prætermisit omnia.

— 160. Non Schowius primum, sed ante Scho-

wium iam Gesnerus in editione ea, quæ prodiit anno 1543. præter latinum, qui est in reliquis Gesnerianis, titulum, græcum præfixit hunc: *Χοιρίλου περσηΐδος*. Quæritur, an ex codice ms.

p. 166. v. 11. leg. *nihil vsquam.*

— 169. v. 6. a fine: leg. *ἐνδελεχείῃ.*

— 170. v. 9. a fine. Non memini viros doctos adhibere Propertium II. XXV. 16.

— 176. v. 9. a fine: adde primam Gesneri edit. 1543.

— 189. Addendorum, quæ cernitur, multitudo et longitudo haud vereor ne mihi obfutura sit apud æquum lectorem. In quibus quæ debentur doctæ Schæferi liberalitati, suam excusationem in se habent. Reliqua maximam partem ex iis libris accesserunt, quibus sero potitus sum, quum, operas dum exercebat liber meus, bibliotheca Regia Dresdana per aliquot dies vti licuit. Ibi Iosephi Eusebiique antiquas editiones videre mihi datum est. Ibi fragmentum Choerili, quod proposui p. 189. a Ruhnkenio acceptum. ex ipso fonte vt repeterem, contigit. Namque alia inuestigans, codicem Hermogenis cum exegesi Tzetzæ inedita asseruari in bibliotheca illa intellexi; eiusque copiam mihi fecit, ea comitate, quam iam prius laudandam habueram, Beigelius. Liber est non contemnendæ vetustatis, in charta bombycina scriptus, hac inscriptione: *Ἑρμογένους Τέχνη ῥητορικὴ μετ' ἐξηγήσεως τοῦ τζέτζου, διὰ στίχων πολιτικῶν.* In bibliothecam Regiam ille venit e bibliotheca Io. Wern. Huberi Icti Basileensis. Huius codicis igitur comparationem instituam hoc loco, non solum cum his, quæ ex codice Lugduno-Batauo protulit Ruhnkenius ad Longinum, sed etiam, quoniam ea sunt proxima, cum illis, quæ ex eodem ad Gregorium Cor. Koenius p. 329. ed. Schæf. Vnde nostrum codicem Batauo passim præstantiorem esse patebit. Itaque quæ ab ea lectione, quam in Batauo libro

dicit esse Koenius, recedunt in nostro, hæc sunt.

Vs. 1. Dresd. *Φέρει γὰρ ὁ θ.* V. 2. *ἀδωνίζουσαι εἴτε συρράκουσαί γε,* V. 3. *λαλούσας π. ἀ.* V. 4. *θᾶσαι πραξινόα· θᾶσαι φίλα.* V. 5. *τε· γραῖαν* (sic) *ἀ. πηρᾶν.* V. 8. *ἄμεινον καὶ τὰ ἔπη δε* (sic) *τοῦ θ. λ.* V. 9. *παύσασθ' ὦ δ. ἀ. κωτίλλουσαι. παύσασθ'* omnino recte, vt Batauus: ipsum versum heroicum ponit Tzetzes. V. 10. *εἶτα καὶ ὡς πρὸς τὸν ἕτερον τὸν λόγον ἐπιφέρει.* Hunc versum Batauus rectius. V. 11. *τρ. ἐκνασσεῦντι πλατειάσδοισαι πάντα* Tantum non prorsus, vt Batauus. Fortasse librario, vel etiam Tzetzæ ipsi, inter scribendum recurrerat numerus politicus: vt *πάντα* scriberet, non *ἅπαντα*. Cæterum Tzetzem in versu Theocriti post *κωτίλλοισαι* distinxisse patet; quæ olim obtinebat distinctio. V. 12. *λαλοῦσιν* V. 13. 14. vt Batauus liber, sed sine distinctione post *τι*, si hoc obseruatione dignum. V. 15. *κελλεποννασαστὶ*

Iam sequuntur versus hi, nondum editi:

αἱ μέντοι λέξεις τροπικαὶ σεμνότητα ποιοῦσιν·
αἱ ἔγγιστα τοῦ πράγματος ὑπάρχουσαι ὡς ταῦτα·
προβαλλομένους τὴν χρηστὴν ἥν περ φησιν ἐλπίδα.

Quos statim excipiunt versus illi:

ἂν πόῤῥω δε (sic) *λαμβάνωνται ὥς περ ποιεῖ χοιρίλλος*
καλῶν τοὺς λίθους γῆς ὀστᾶ· τοὺς ποταμοὺς γῆς φλέβας.

Sic Dresd. Vt iam restitutus sit disputationis Tzetzæ ordo et nexus, quem perturbauerat, qui et mihi imposuit, Ruhnkenius, exhibens: *Πόῤῥω δὲ λαμβάνονται.* Reliqua quod attinet, hæc sunt libro nostro propria. Primo *σίγμά* exhibet vtroque loco; deinde in versu, qui ante vltimum, *ἔλαμπε;* denique *καὶ πίσσαν ἐφθὴν* (sic) etc. *καὶ πίσσαν* sine distinctione, vt etiam in codice Lugduno-Batauo fuisse existimo.

Placuit et Hermogenis ipsius ea conferre, quæ proxima. Quo intellexi, librum Dresdanum ordinem verborum aliquoties habere alium, quam in vulgatis libris. Hermogenis verba, quibus Theocritum respicit, ita leguntur in Dresdano: *ὁ γὰρ Θεόκριτος ἀχθόμενόν τινα πεποίηκε δωριζούσαις γυναιξὶ, διὰ τὸ πλατύνειν, τῷ ᾱ πλεῖστων* (sic) *χρωμέναις, τὴν φωνήν.* Cf. edit. Laurentii pag. 283. Mox codex: *τὰς τελευταίας εἴη συλλαβὰς τῶν λ.* Tum in loco de metaphoris, vbi Laurentius p. 284. *αἱ μετρίως μὲν οὖν ἔχουσαι*, codex omittit articulum. Mox in verbis Demosthenis ex oratione de corona pag. 240. 28. Reisk. codex: *ἐν τῷ πολιτεύεσθαι καὶ προστάττειν.* Mox idem: *εἰ δὲ ἐπὶ πλέον ὑπερβαῖεν αἱ τρ.* et *λωποδυτῶν* habet, non *λωποδυτεῖν.*

p. 204. v. 9. *Guarini* interpretationem, et *Guarini* codicem non recte dixi hoc loco. Si vera sunt, quæ Brissonio præeunte Fabricius Bibl. gr. vol. III. p. 5. seq. ed. Hamb. Bibl. latin. med. et infimæ ætatis tom. III. p. 101. 119. edit. Pat. et Siebenkeesius in Bibl. gr. ab Harlesio instaurata vol. IV. pag. 569. sq.

— 217. v. 9. Hunc in locum a viro doctissimo ad me scripta sunt hæc, quæ sequuntur. *P. 217. in Nicandri versu nollem mirabile dixisses χαλικροτέρη. H. Stephanum oportebat dicere confidentius, in hac forma obtinere syncopen; tuque debebas viro summo assentiri sine vlla dubitatione. Tales enim formæ comparatiuorum et superlatiuorum, vel ob metri necessitatem vel commodioris causa pronuntiationis curtatæ, haud raro leguntur. Nicandreo prorsus geminum est quod habet Strato LXXXVIII. 4. χρωτὸς ἀκηροτάτου, ad q. l. permiram legas Wyttenbachii animadversionem deriuantis hunc superlatiuum a positiuo ἄκηρος posito pro ἀκήρατος:* quamquam, *inquit*, simul alludere potuit

ad significationem ceræ. *Bibl. Crit. II.* 2. *p.* 54. *Illud* ἄκηρος *non minus barbarum est, quam* χάλικρος (*ita enim* τονωτέον), *de quo tute monuisti. Eodem compendio Græci flexerunt:* δυςφώρατος, δυςφωρότερος, δυςφωρότατος; δυςχείρωτος, δυςχειρότερος, δυςχειρότατος; εὐφώρατος, εὐφωρότερος, εὐφωρότατος; εὐχείρωτος, εὐχειρότερος, εὐχειρότατος. *Quorum comparatiuorum et superlatiuorum si qui positiuos esse dicunt* δύςφωρος, δύςχειρος, εὔφωρος, εὔχειρος, *Græcæ Linguæ Thesaurum onerant sordibus foedissimis. Et fuerunt qui hoc facerent: quorum nomina taceo. Quod sicubi librarii inter formas curtatas plenasque incerti errant, ego quidem, nisi alia obstent, curtatas præferam. Diodorus Sic.* V. c. 34. δυςχείρωτοι τοῖς ἄλλοις εἰσί. *Wesselingius:* δυςχειρώτατοι Reg. Cois. Mut. *Hinc dudum elicui* δυςχειρότατοι: *et sic Eichstadius a me monitus edidit. Vt non sine causa vir clarissimus extrema præfatione fateatur, admonitiones sibi a me impertitas esse, quæ ad* ἀκρίβειαν *in græca scribendi ratione facerent. Vel hac laude contentus sit modestior,* ὀρθογραφικῶς *se bene mereri de scriptis veterum, si alia ratione non posse videatur.*

p. 226. v. 13. a fine: leg. *dubitabit*

— 252. v. 12. a fine: leg. *verum*

— 253. 255. seq. quoties *Guarinum* dixi, toties *Gregorii Tifernatis* nomen reponendum esse videtur.

— 256. fin. Coniectura mea me non fefellit. Quam ex Strabone latino posui pag. 204. inscriptionem Sardanapali, eamdem Natalis de Comitibus Athenæo suo latino lib. VIII. cap. IV. p. 137. ed. Venet. 1556. inseruit. Sexto versui addidit hos a se factos:

Quod mihi sit cordi. nummi cumulentur et aurum
Immensum reliquis, cupiunt qui multa tenere.

DISSERTATIONIS

DE

CHOERILO ET CHOERILIS

CAPITA.

I. Choerilus Atheniensis Tragicus. 3.
II. Panyasis. De aetate Choerili Samii diuersa et secum pugnantia tradere Suidam. 14.
III. Choerili Samii quae fuerit aetas. 21.
IV. De Choerilo Samio Marcellini locus. Choerili nomen. Scriptorum, qui de Choerilo Samio exposuerunt, auctoritas. 30.
V. Choerilus, Alexandri Magni comes, Iasensis. 37.
VI. De Choerilo Samio Plutarchi locus. 46.
VII. Choerilus Ecphantidae. 51.
VIII. Choerili Samii dictio et nouus in poesi epica conatus. 59.
IX. Antimachus et poetae Alexandrini. Asius Samius. 67.
X. Choerilei carminis inscriptio et ambitus. Choerili Iasensis praemia. 78.
XI. Choerilus Samius obsoniorum amator. Qui Choerilo Samio publice honor habitus sit. Platonis de eo iudicium, et Aristotelis. 87.
XII. Alexandrinorum et Euphorionis de Choerilo Samio iudicium. Choerili Samii scripta, praeter Persica. 96.

INDEX SCRIPTORVM.

A.

Acro 82. 83.
Aeschrio 192. 194. conf. Addenda.
Aeschylus 166. 217.
Alexis 5. seq.
Apollodorus 245. 246.
Apollonius Rhodius 119. 149. 161.
Aratus 215.
Archestratus 77.
Aristoteles 111. seq. 174. 176.
Asius Samius 74. seq. 76.
Athenaeus 232. 234. 247. 250.
Atilius Fortunatianus 263.
Auctor fragmenti, quod Censorino additur 262. seq.

C.

Callimachus 214. seqq. 229. vno versu auctus 180.
Catullus 164.
Chrysippus 214.
Cicero 143. 177. Ciceronis versus 256.
Clearchus apud Athenaeum 252.
Crates Thebanus 213. cf. 236.
Cratetis grammatici epigramma 98.
Cratinus 54. seq. 156.
Cynegeticorum scriptor 186.

D.

Diodorus Sinopensis 174.
Dionysius Periegetes 154.

E.

Empedocles 118. seq. 164. 167. 178. 179. 180. et 181.
Epicharmus 146.
Eudocia 4. 11. 12. 187.
Euphorio 119.
Euripides 117.

G.

Galenus 179.

H.

Hermogenes Add. ad pag. 189.
Herodotus 140. 156. seq.
Hesiodus 118. 124. 125. 146.
Hesychius 54. seq. 56. 57. 120. 146. 154. 156. 172. 173. 230.
Hipponax 180.
Hieronymus in chronicis Euseb. 79.
Homerus 108. seq. 118. 121. seq. 134. seq. 147. 148. 149. 157. seq. 161. 225. cf. 255. Hom. hymnus in Apoll. 126. 142. in Merc. 234. in Panem 144. in Dianam 145. seq.

I.

Ibycus 107.
Iosephus 130.
Iosephi interpres latinus 151. cf. Addenda.

L.

Lexica Bekkeri 114. 142. seq.

M.

Marcellinus 30. seq.
Marius Victorinus 259.
Martianus Capella 176.
Menander 176.

N.

Nicander 146. 216. seq.

O.

Oraculum apud Pausaniam 162. apud Suidam 98.

P.

Paeanis exordium apud Plutarchum 46.
Philostratus 120. 187.
Phoenix Colophonius 227. 228. seqq. 231.
Photii lexicon 155. 156. 248.
Plato 176.
Plotius 257. 258. 263.
Plutarchus 48. 140. seq. 252.
Poeta comicus, fortasse Ecphantides 54.
Poeta comicus apud Photium 54.
Porphyrio 39. 206. seq.
Propertius 184. seqq.
Ptolemaeus Hephaestionis 39.
Pythermus Teius 246.

S.

Sappho 154. 266.
Scholiastes Apollonii Rh. 16. 114. 153. 154. 217.
Scholiastes Aristophanis quod habet supplementum epigrammatis Choerilei 218.
Scholiastes Aristotelis 112.
Scholiastes Nicandri 216.
Scylax 124.
Sophronis fragmentum 57.
Stephanus Byz. 41. 42. 43. 53. 114. seq. 198. 237.
Stesichorus 120.
Strabo 203. seqq. 209. conf. 237. seq.
Suidas 8. seq. 17. seq. 34. seq. 217. 229. 230. 235. 238. 242. 244. 247. seqq. 250. 251.

T.

Theognis 106. 234.
Tzetzes ad Hermogenem 189. cf. Add.

V.

Vaticana anthologia 235. seq.
Vaticana prouerbiorum appendix 251.
Versus graecus apud Plotium 4. 258. 260. 264. seq.
Versus senarius comicus an satyricus apud Eustathium 190. seq.

INDEX RERVM ET VERBORVM.

A.

ᾶ 106.
Abii 122. 123.
ἀκήρατος 107.
ἄκηρος vox nulla. *ἀκηροτάτου* Strato per syncopen Add. ad pag. 217.
ἀκρόκομοι Thraces 141.
Acronis editio princeps 82.
ἀκταί, *ῥηγμίν* per metaphoram 167.
ᾄδειν et sim. dicuntur monumenta 230. *ᾄδειν* an *ἀείδειν* apud scazontum scriptores ibid.
Adiectiua in *υς* et sim. quae *κοινῶς* vsurpata Add. ad pag. 74.
ἀείζωος vel *ἀθάνατος* herba, *ἄγρωστις* 194.
Aeschrionis poetae metaphorae iusto crebriores et audaciores; idem Samius et Mitylenaeus; eius aetas, et filius Lysanias 192. seq. Aeschrio Philaenidis vindex 193. heroica et iambos scripsit 194. Aeschrionis aliquot fragmenta 189. 194. conf. 227. 230.
Aethiopis an Aethiopica Arctini carmen 79.
Aethiopibus Asiaticis tribuit capitis tegimentum Herodotus, quod Choerilus Iudaeis 135. 145.
Aethiopes nigri, *κυάνεοι* al. 186.
ἀέξειν: *θυμὸν ἀέξειν* 232. seq.
ἀγής vel *ἁγής* Empedocleum et Hipponacteum 180.
αἴθοπες, nigri, epitheton 186.
αἰωρεῖσθαι 75.
Alexander M. secum habuit Choerilum Iasensem, eique liberalem se praebuit 82. seqq. conf. 37. seqq. 44.
Alexandrinorum poetarum doctrina et sermo, ab Antimacho repetitus 69. seqq. conf. 180. et 216. seq. Quid senserint de Antimacho singuli 71. eum in canonem receperunt, neglecto Choerilo 96. seqq. Elegia Alexandrinorum 73. eorum canon 18. 61. 195. Alexandrini poetae et qui proxime antecesserunt, choliambicam poesin studiose restituerunt 195. 227. Alexandrinis hiatum fortasse supra modum fuisse inuisum 232. Alexandrinorum vsus pronomina inter se permutandi 232.
Alexis an imitatus sit Sardanapalum 225.
ἀμέλγειν 54. *ἀμέργειν*, *ἀμέργεσθαι* ibid. *ἀμέργειν* et *ἀμέλγειν* confusa ibid.
ἀμιθρῆσαι, recensere, dixit Phoenix. *ἀμιθρεῖν* etiam Callimachus 229.
Amorges et Scythae Amyrgii 123.
ἀμφιβραχυονίζειν 75. seq.
Amphionis et Zethi nomina in versu hexametro 76. seq.
Amphis an imitatus sit Sardanapalum 225.
Amyntas historiae Alexandri M. scriptor, et Alexandri fortasse comes 205.
ἂν et *κεν* coniuncta 266.
ἀνακροταλοῦν 250.
ἀναγιγνώσκειν 90.
Angelicum non vnum metrum dici grammaticis latinis 262. Angelicus numerus apud Pseudocensorinum 262. seq.
ἄνολβον perperam interpretatur scholiastes Soph. 164. *ἄνολβος*

ὄλβος et simil. ibid. δὶς ἄνολβος ibid.
ἀνταυγέω 179.
Antilochus poeta: Ἀρχίλοχος et Ἀντίλοχος confusa 50.
Antilochus patris defensor 185.
Antimachus Choerilo Samio posterior 29. eius ars et quo modo epicam poesin immutauerit 67. seqq. idem quo modo elegiam 73. Thebais lecta 91. Antimachum magni fecit et Choerilo praetulit Plato 92. Antimachi apud Alexandrinos auctoritas 71. 73. 96. seq. eius numeri 73. seq. Antimachi insolentia et Choerili quo modo differant 168.
ἀποκροτεῖν τοῖς δακτύλοις et sim. 250.
ἀποκρότημα siue κρότος digitorum et κρότος manuum confusa 250.
ἀποληκεῖν 250. 251.
Apollodori paraphrasis inscriptionis Sardanapali Anchialeae iambica, cuius vestigia apud schol. Aristoph. Suidamque, et apud Plutarchum 243. seqq.
ἀποῤῥοή· σεμνότερον τοῦ ἀπόῤῥοια 181.
Mich. Apostolii aberratio 243.
Apostrophus confusus cum compendio syllabae ες, ex emendatione Schaeferi Add. ad pag. 108.
Arabum περιτρόχαλα 140. 141.
Archelai Macedonis aetas 25. secum habuit Choerilum Samium 24. seqq. 27. 87. seq. Archelai quae fertur munificentia 88.
Archestratum frequentare crasin 77.
Arctinus 22. Arctini carmen 79. quatenus illud expressisse videatur Quintus 185. 186. et qui alii Arctinum sequuti sint 187.
Aristomenis Messenii facinora 71.
Aristoteles Choerili Samii auctoritate vsus, sed modice 92. prior fuit Choerilo Iasensi 93. 208.
Aristotelis Rhetoricorum codex Dresdanus 33. 111. 180. 266.
Arnobii error 143.
Arrianus interpolatam exhibet Sardanapali inscriptionem Anchialeam 238. Arriano antiquum fuisse auctorem 241. et 242. Arrianum falsa tradere de gestu Sardanapali in monumento Anchialeo 249. seqq.
Ἀσία nomen primitus adiectivum 113. seq. Ἀσίῳ λειμῶνι ibid. Ἀσίς, Ἀσιάς, Ἀσιῆτις adiectiua ibid. Ἀσιὰς an Ἀσία κιθάρα 114. seq. Asiae nominis origo, ambitus; Asium pratum; Asia dicta Lydia; Asia ἡ ἤπειρος; Asia, quae intra Halyn; Asia dicta Ionia; Asia dicta Troas vel Phrygia; Asia, quae Persis subiecta 115. seqq. 125. Ἀσίς, Ἀσίῳ, Ἀσία, Ἀσιάς, Asius, quanam quantitate 125. Asia Oceani filia, a qua Asiae nomen nonnulli repetierunt ibid.
Asiam Europamque Paridi promisit Iuno 116. seq.
Asii Samii partim simplicitas, partim comica magniloquentia; aliquot fragmenta 64. 75. seq.
Athena Coryphes filia 142. seq.
Athena Itoni filia 143.
Atheniensibus fortasse fauisse Choerilum Samium 81. Atheniensium in Choerilum reuerentia 89. seqq.
Auctor vitae Sophoclis notatur 7. seq.
Auctor fragmenti, quod editur cum Censorino, notatur 262. seq.
αὐχαλέος 144.
αὐχμαλέος et cognata 144.

B.

Bacchidae inscriptio apud Athen. an contineat imitationem Sardanapali 224. conf. 255.

Boreas Atheniensium propter Orithyiam adiutor 152. 154.
Breuiare syllabam 263.
Brilessus mons, ad quem Orithyiae raptum retulit Simonides 153. seq.

C.

Caerulus miles Memno Propertio 186. 188.
καὶ non facit crasin apud epicos 76.
καὶ non facit elisionem ante breuem vocalem 77.
Callimachi numeri 74. 214. scazontes 227. in scazontibus dialectus 230. 231.
Canon Alexandrinorum 18. 61. 195.
Καπνίας, Ecphantidae cognomen; *καπνίας οἶνος* 51. seq.
κὲν et *ἂν* coniuncta 266.
Cephissus Atticae 153.
χαλικροτέρη per syncopen: *χάλικρος* nemo dixit 217. conf. Addenda.
χάλις, quatenus atticum, *χαλίκρατος*, *χαλιμάς* Aeschyleum 217.
Chloricum aliquis dixit Nestorem 185.
De Choerilo et Choerilis dissertatio quid praestet et qua rerum serie, breuiter declarant additae singulis capitibus inscriptiones. Quibus inscriptionibus quae non continentur, et quae praeter haec alibi leguntur per librum sparsa, de Choerilis memorabilia, haec fere sunt.
Choerilus Samius Herodoti auditor et deliciae 19. seqq. 24. 28. cum Lysandro versatus 26. seqq. 46. seq. 48. seqq. apud Archelaum Macedonem vixit et obiit 24. seqq. 27. 50. 87. seq. quando floruerit 89. conf. cap. III. eum *γενέσθαι κατὰ Πανύασιν* 28. seq. priorem Antimacho 29. scriptores ei aequales alii 30. eius patria 32. mores 88. seq. carminis eius longitudo 80. et terminus 159. conf. 79. Darii bella non attigit 126. seqq. Atheniensium an studiosior: quid de Leonida fortasse narrauerit 81. patriae in Choerilo studium 80. 158. seq. eius dispositio 66. ars 79. seq. 81. 129. deorum ministerii rarus vsus 63. 152. eius comparationes 85. seq. 92. 94. 173. Persicorum exordium 105. 107. seq. 111. 113. Catalogum fecit Homerum Herodotumque imitatus 80. 150. Iudaeorum an notitiam habuerit 131. seqq. et quam notitiam 134. seqq. quid de Solymis 135. Orithyiae raptum ad Cephissum retulit 152. seq. Choerilus cum Herodoto comparatus, a quo passim discessit 79. cf. 158. seq. 81. 129. 135. seq. 140. seq. 145. 149. 150. 152. 156. seq. Choerilus cum Aeschylo comparatus 117. cum Scymno Chio 123. seq. cum Simonide 154. Homericum hemistichium assumpsit Choerilus 108. Homerum respexit 121. seq. Choerili oratio figurata 65. seq. 105. 164. 165. seqq. 191. numeri 73. 137. 145. 157. 161. 206. synaereseos vsus 147. seq. *ὄρεσιν* scripsit ante consonantem 137. Choerili sigmatismus 157. Choerili vocabula vel non epica vel non Homerica 105. 115. 118. 124. 125. seq. 142. 145. 146. 160. 173. alibi non obvia 144. An praeter Persica scripserit aliquid cap. XII. an epistolas 101. seq. an epigrammata 102. conf. 160. 168. 172. seq. 182. 191. Eius carmen Panathenaeis non lectum, sed cantatum a rhapsodis 89. seqq. In Choerilo quid laudauerit Euphorio 98. Choerilus post Alexandrinos cur neglectus sit 99. eius frag-

menta qui conseruauerint 100. Choerili versus qui in proverbium abiit fragm. IX. cf. pag. 100. et fragm. VI. VII. Choerilus ὁ ἐποποιός, ὁ ποιητής, ante alios audit Choerilus Samius 100. 167. seq. 205.
Choerili nomen deprauatum 9. 30. 32. seq. 54. 83. 151. 155. Add. ad pag. 150.
Choerilum tragicum nominis scriptura non differre a Choerilo Samio 53. Choerili tragici nomine designari tragoediam antiquissimam 265. conf. cap. I. Choerili tragici an sit memoria apud Eustathium et Tzetzem 189. seqq. Eius mentio in versu graeco apud Plotium 4. seq. 258. vnde dictum Choerileum 263. seqq.
Choerileum metrum 257. seqq. de eo Plotii locus ibid. et aliorum grammaticorum latinorum sententia 258. seq. Eius lex, apud Pindarum exempla, et exemplum graecum aliud 259. seq. Inuentor fortasse Stesichorus 261. Angelicum quo iure appelletur 262. seq. quo Diphilium 263. Choerileum cur et quibus 263. seqq. Choerilium ἀμφιλιπές 265.
Choerilus Iasensis Aristotele posterior 93. seq. 208. an longum carmen scripserit: Lamiaca scripsisse videtur 85. cf. cap. V. et pag. 93. seq. 101. 207. Eum ignorauit Suidas 84. et 86. 101. Choerilum vtrum omnino auctorem habeat Sardanapali epitaphium graecum 197. 199. seqq. Esse illud Choerili Iasensis 205. seqq. sed non totum 208. seqq. In eo duos versus antiquiores interpolando suos fecisse Choerilum, malo consilio 210. seqq. conf. 234. seq. In Choerili epigramma parodia Chrysippi 213. seq. Choerili epigrammati versus adiecti ab aliis 217. seqq. Qui illud non imitati sint 223. seqq. Phoenix Colophonius an imitatus sit Choerilum 226. In Choerili epigrammate varietas lect. 231. seqq. Choerilum non reformidasse hiatus Homericos 232. ὅν fortasse dixisse pro σόν ibid. θυμὸν ἀέξειν quo sensu dixerit ibid. Correptionem admisit ante θνητός 233. Choerilei epigrammatis interpretes latini 253. seqq.
Choerilus Samius et Choerilus tragicus confusi 13. 110.
Choerilus Samius et Herodotus confusi 112.
Choerilus Iasensis et Choerilus Samius confusi 40. seq. 44. 84. seqq. 100. cf. 205. 101.
Choerilus comicus et Choerilus Samius confusi 58. cf. 101.
χοιρίλος, porculus, Χοιρίλη, ἐκκεχοιριλωμένος, ἐκχοίρηκες, χοιράγχαι 57. seq.
Choliambicae poeseos aetates et instauratio Alexandri M. saeculo 195. 227.
χρέος. παρὰ χρέος duplici significatione: non παράχρεος 216. seq.
χρεών non legi in poesi epica antiquissima 160. seq. tritius quam χρεώ 161. χρεών monosyllabum; χρεώ vbique monosyllabum apud Homerum ibid. χρεώ bisyllabum apud Apollonium ibid. Eorum vocabulorum vsus apud alios, veluti Parmenidem 162.
χρύσεον cum synaeresi 149.
Chrysippi in epigramma Sardanapali Choerileum parodia 209. seqq. Idem qua ratione Cratetis parodiam interpolaverit, et quo modo sententiam Choerili deflexerit in parodia sua 213. seqq. additamento auxit de suo Choerili epigramma 218. seqq. Parodiae Chrysippi abusus ad

interpolandum Sardanapali epigramma 236. seq.
Cicero vindicatus 177. seq. Ciceronis versus ex epitaphio Sardanapali 208. 211. 253. seq. 256.
Cithara Ἀσιάς an Ἀσία 114. seq.
Clearchus Anchialeam Sardanapali inscriptionem detorsit 239. seqq. 241., conf. pag. 154. Clearchum falsa tradere de Sardanapali statua 252. seq.
Clementis Alexandrini error 143.
κνισσοκόλαξ 76.
Comicorum lusus 56. seq. 88. 223.
κωμῳδεῖν perstringere, fefellit scholiastam Luciani 193. seq.
Comparationis in poesi epica leges 94. seq.
Concrepare digitis graece 250.
Contractio verbi ἀείδω in versibus scazontibus 230.
Κόραξοι an *Κοραξοί*: de Coraxorum lana Hipponax 230.
Coria Minerua 143.
Correptio diphthongi in medio vocabulo non licita 181. Correptio ante χρ. 162. ante θν. 206. 233.
κόρυμβοι, κόρυμβαι 75.
Coryphasia Minerua vnde dicta 143.
Coryphe Oceani filia 142. seq.
κορυφή, vertex capitis, an Homericum 142.
κοτὲ in choliambis Callimachus 231.
Crasis 76. seq.
Cratetis grammatici in Euphorionem epigramma 97.
Cratetis Thebani versus ad parodiam Sardanapali 211. 212. seq. ex Cratetis parodia quaedam male venisse in Sardanapali epitaphium 209. 236. seq. Crates et Chrysippus confusi 212.
Critias qualis poeta fuerit 215.
κρότος manuum et κρότος digitorum 250.
Currus poetarum 109.
Cymbae per metaphoram dicuntur pocula 165.
Cynegeticorum scriptor notatus 186.

D.

δαίνυσθαι. ἔδαισα apud Phoenicem Coloph. 230.
Darii ratis et Xerxis confusae 128. seq.
δαρτός 145. add. Hom. Il. XXIII. 169. δρατὰ σώματα: quod grammatici interpretantur ἐκδεδαρμένα.
δεδαώς. εὖ δεδαὼς fortasse maluisse Alexandrinos, quam εὖ εἰδὼς 232.
Delphicum appellatur metrum hexametrum heroicum 263. *Delphicum* et *Diphilicum* confusa ibid. *Delphicum* et *Deliacum* confusa ibid.
Deucalionis fabula apud Ouidium 191.
Diomedis editiones princeps et aliae 261. seq.
Diphilium metrum vel Diphilicum Plotio 263.
δοῦν infinitiuus apud Phoenicem Coloph. 231.
δυσάνολβος. δὶς ἄνολβος 164.
δύσφωρος, δύσχειρος an sint graeca: δυσφωρότερος, δυσχειρότερος Add. ad pag. 217.

E.

ἐκ praepositionis vis priuatiua 56.
ἐκκεχοιριλῶσθαι, ἐκχοίρηκες 56. 57.
ἔχειν cum genitiuo 74.
Ecphantides, comicus poeta antiquus, cognomine *Καπνίας*, Choerilum adiutorem habuit 51. seqq. Ecphantis dictus a Cratino 54. seq. Eius fragmenta aliquot 53. Eius fabula, Satyri, et fortasse aliae fabulae, *Διόνυσος* et *Πύρανος* ibid. *Ἐκφαντίδης* et *Ἐμφανής* confusa ibid.
Edacitatis qui accusati fuerint 88.

edere, *bibere*, *ludere* 254. seq.
ἡδὺς ἀϋτμὴ et sim. Add. ad pag. 74.
Elegiae immutatio per Antimachum et Alexandrinos poetas 73.
Elidi vltimam syllabam in v. πρόσωπα 145. Elidi vltimam in ὄπα, sed non sine conditione 145. seq. Elidi vltimam in v. παραχρῆμα, vbi in arsi est syllaba ρα, ingratum, maxime in quarto pede versus heroici 214. Elisio in thesi pedis dactyli Add. ad pag. 108.
Ἑλλὰς nomen adiectiuum: Ἑλλὰς ἀνὴρ ibid.
Empedoclis insolentia 119. 167. insolentia ex verbis compositis simplicia facientis 180. numeri 119. 233. non corripuit diphthongum in medio vocabulo 181. Eius verba deflexit Galenus 179. Empedocli qui perperam adscribantur versus 233.
ἐνδελέχεια, ἐνδελεχής, ἐνδελεχῶς, ἐνδελεχέω et cogn. 173. seq. pro quo qui scribere coeperit ἐντελέχεια 174. seq quid intersit inter ἐνδελέχειαν et ἐντελέχειαν ibid. et 177. seq. ἐνδελέχεια et cognata et ἐντελέχεια confusa 176. 177. ἐνδελεχία 176. Vocem ἐντελέχεια quo modo interpretatus sit Cicero 177. seq.
ἠνεκές, ἠνεκέως 180.
ἠνώγεον 149.
ἐπ' et ἐς confusa 112.
Ephemerides Aeschrionis 194.
ἐφυβρίζειν 194.
Epicharmus primus comoediae scriptor 6. Ἐπίχαρμος paenultima breui ibid.
Epicae poeseos post Homerum lapsus 59. seqq. 91. Epici poetae ante Choerilum et post Choerilum plerique quaenam argumenta tractauerint 62. seq. 71. 96. Epici post Homerum poetae Homericam dicendi simplicitatem retinuerunt 64. seqq. Epicae poeseos per Antimachum immutatio 67. seqq. Epica poesis Alexandrinorum 69. seqq. Quinti 72. immutatio per Nonnum facta ibid. Epicorum poetarum post Homerum numeri 73. seq.
ἐπικροτεῖν 250.
Epicuro inscripti versus, qui Sardanapali 255. seq.
Equinis exuuiis ad tegendum caput vsos esse vel Iudaeos vel Aethiopes 135. 145.
ἐς et ἐπ' inter se confusa 112.
ἐς syllaba confusa cum apostropho, ex emend. Schaeferi Add. ad p. 108.
ἐσκληκώς, ἐσκληώς et compos. 146.
Ἠσιονεῖς Callini 115.
ἦτρον 98.
Etymologiae studium lubricum 132. 134.
Eudociam sua de Choerilis ex Suida hausisse 4. 8. 11. 18. 32. 36. sed non omnia 58. cf. 101. eius in compilando negligentia 78. cf. 102. Eudocia Philostratum expilauit 185. 187. Eudociam ab scholiasta Aristophanis accepisse Sardanapali epigrammata 196. 218. 245. seq.
Eumelus 64.
Euphanes comicus an fuerit 53.
Euphorio 69. seq. quid senserit de Antimacho et Choerilo 71. 97. seqq. Euphorionis insolentiae exemplum 166.
Euripides apud Archelaum regem 24. seqq.
Euripideam loquutionem perstringunt poetae comici 223.
Eusebianorum Hieronymi chronicorum editiones antiquae 9. 79.
Eusebium ex Iosepho hausisse 136.
Exordium epici carminis iudiciale 105. seq. 111.
εὐωχεῖν pro εὐωχεῖσθαι 230.

εὔφωρος, εὔχειρος an sint graeca: *εὐφωρότερος, εὐχειρότερος* Add. ad p. 108.
εὐρέος χϑονός 74. conf. Addenda.

G.

γάρ sexto loco 5.
Georgius Trapezuntius interpres Eusebii Praeparationis euang. Add. ad pag. 150.
Graecorum *περìτρόχαλα* 139.
Grammatici viris illustribus illustres magistros affingunt 22. quibus scriptoribus vti soleant 99. Grammaticorum leuitas in excogitandis metrorum nominibus 264.
Grammaticos latinos mature interpolatos esse ab editoribus, demonstratur Diomedis exemplo 261. seq.
Gutta cauat lapidem: prouerbium Choerili celebratissimum, etiam in versum iambicum redactum et ab aliis imitatione expressum 170. seqq. conf. Add. Alia in eamdem sententiam dicta ibid.

H.

Helladam Add. ad pag. 150. cf. p. 79.
Hermeae Curiensis, choliamborum scriptoris, aetas 195.
Hermogenis cum Tzetzae exegesi codex ms. Dresd. Add. ad p. 189.
Herodoti historia recitata Panathenaeis et alibi 89. seq. Herodoti auditor et deliciae Choerilus Samius 19. seqq. 24. 28. Herodotus cum Choerilo comparatus 140. seq. 145. 152. 156. seq. Herodotus et Choerilus confusi 112.
Hesiodus 6. 18. 64. 125.
Hesychii error 243.
Hesychii Milesii opus et operis eius epitome 34. seqq. an ad Hesychium Milesium referenda sint, quae falsa de Choerilo Samio habet Suidas 35. conf. 24. 44. 84. seqq. 101. Cf. et 182.
Hexametri catalectici in syllabam, in Syringe 265.
Hiatus qui non vere hiatus 137. 157. sed Alexandrinis fortasse molestus 232. conf. 234.
Hierosolyma et Solymi confusa 132. 133. 136.
Homericorum carminum fata 59. seq. 89.
Homerum proposuisse, quae Sardanapali epitaphio s milia essent 225.
Horatius iudex seuerior 40. cf. 207. vindicatus 83. seq.

I.

Iasus an Iassus, Cariae vrbs, quo accentu 41. seq. *Ἴασον Ἄργος* 43.
ἰχϑύπρωρος 156.
ἰεῖσαι pro *ἱεῖσαι* 146.
Imperfectorum in *εον* synaeresis et forma contracta in *ευν* 137. 147. seqq.
Insolentia verborum et allegoriae 168.
Iosephus quam recte Iudaeorum notitiam tribuerit Choerilo 151. seqq. 134. Iosephi interpres latinus notatur 151. cf. Addenda.
Ἱππημολγοί 122. nomen adiectiuum apud Hesiodum 124.
Iudaeorum vtrum mentionem fecerit Choerilus nec ne, virorum doctorum disputatio 131. seqq. Iudaeorum notitiam qualem habuerit Choerilus 134. seqq. Iudaei an contra Graecos militauerint in Xerxis exercitu 136. Iudaeos non fuisse in orbem tonsos 132. seqq.

L.

Lacunae signa non suo loco posita 76. 231.
Lamiaca, de bello Lamiaco carmen 101.
λεωλογεῖν quid 229.

Leonidae in Persica castra irruptio 81.
Lexicon Bekkeri vindicatur ab Hemsterhusii reprehensione 180.
Ligyes 124. seq.
λίπουρος, non *λείπουρος* Callim. 183.
λόγος an epicum, et qua significatione: frequentatum poetis philosophis et apud lyricos 118. seq.
loqui dicuntur monumenta 230.
Luciani de dialectis disputatio 175.
Lysander secum habuit Choerilum 26. seqq. 46. seqq. Eius in Samum expeditio 49. in Lysandrum Samiorum paean 46. circa Lysandrum poetarum certamina 50.
Lysanias Aeschrionis filius 193.

M.

Margites 76. 106.
Maximus poeta 216.
Memno quo colore fuerit 18 seqq. Memnonis fabulam qui reuocauerint ad historiam 187. Memno a Persis venisse dicitur ibid. Memnones duo, quorum vnus Troianus, Troilo iunior ibid. Memnonis cum Nestore congressus, de quo diuersa auctores 185.
Metaphorae ridiculus vsus et sapiens 190. seq. Metaphorae iusto crebrior vsus 192.
Minerua Coria, Coryphasia, Minerua Coryphes filia 143. Itoni filia ibid.
Mnaseas quo mythologiam modo tractauerit 143.
Mythologiae explicatio historica 142. seq.

N.

ν ἐφελκυστικόν ante consonantem 137.
ναυάγια per metaphoram dicuntur poculi fragmenta et simil. 165. seq. *ναυάγια* de ebrietate ibid. *ναυαγός* nauis ductor 166.
Nautae per metaphoram dicuntur compotores 165.
Mich. Neandri in Gnomologico quaedam singularia 98. 254.
nectus 83.
Nestoris propter Antimachum luctus 188.
Niceratus poeta 31. 50.
Nigri, *κυάνεοι* etc. appellantur Aethiopes 186.
Nigrum qui fecerint Memnonem 187. seq.
Nino tribuere Phoenicem epitaphium, quod caeteri Sardanapalo 226. conf. 242. *Νίνος* prima syllaba correpta 228.
Nocticolorem Memnonem Laevius 188.
νόμος an Homericum 125. 126.
Nonnus nouae poeseos conditor 72.
Numeri poetarum epicorum Homeridis proximorum 73. seq.

O.

Obscuritas Ecphantidae, Carcini 52.
ὀχεύειν 245.
ὁκόσσον an dixerit in choliambis Phoenix 231.
οἷον αἱ fortasse doricum pro *οἱονεὶ* 146.
ὄλβος ἄνολβος et similia 164.
ὄν pro *σόν* 232.
ὄπα qua conditione vltimam elidat 145. seq.
ὀρεομελής vox nihili 167.
Orithyia vbi rapta fuerit, vulgata narratio, et aliae aliorum 152. seq.
Orpheus Homerum imitatus Add. ad p. 74.
Ossa terrae bene dicuntur lapides 190. seq.

P.

παίζειν, ὀχεύειν, ἀφροδισιάζειν ad elegantiam dictionis diversa 245.

Panathenaeis recitata Homeri, Herodoti, Choerili opera 89. seq.
Panyasidis aetas 14. seqq. 28. seq. an Lydiam scripserit 16. Panyasidis cum Herodoto cognatio 18. in canone locus ibid. Panyasis quid praestiterit in poesi epica 61. seq. Panyasidis nomen corruptum 16.
παραινέσαι θέλω, βούλομαι Euripidea loquutio, quam studiose vsurparunt poetae comici 223.
παραχρῆμα nec bene corripit antepaenultimam, nec bene elidit, in quarto pede maxime versus heroici, vltimam 214. vocabulum primitus atticum, denique a grammaticis et scholiastis tritum, sed a poesi alienum 215. seq. παρὰ χρέος 216. seq.
Parmenonis Byzantii, choliamborum scriptoris, aetas 195.
Πάρνης masculinum an femininum 53. seq.
πεδόθεν funditus 107.
Pelasgus αὐτόχθων 76.
πελάζειν verbi vsus apud Homerum, Hesiodum, Choerilum 108. seq. conf. Addenda.
περιτρόχαλα, τροχοκουράδες et al. 138. seqq.
Persae veritatis studiosi 160.
Persica an Perseis, Choerilei carminis inscriptio 79. cf. 160. et Add.
Phauorinus Eudociam sequitur 196. 218. 245. seq.
φερέζωος paenultima breui, vel φερέζοος apud Callimachum 183.
Philaenis 193. seq.
φίλητρον, φίλτρον 97. seq.
Philisci comici versus.
Philocrates comicus an fuerit 193. seq.
Philosophi poetae 118. 162.
Philostratum expilauit Eudocia 185. 187.
Phoenix Colophonius, choliamborum scriptor 195. eius aetas, versus scazontis tractatio, dialectus, dictionis insolentia et de Nino carmen, quo Sardanapali epitaphium expressit 226. seqq. 231.
Photii aberratio 243.
Phrynichi nomen corruptum 9.
Pindari exempla metri, quod dicitur, Choerilei 259. seq.
Pisander 18. 61.
Plato Antimachi cultor 92.
Plotius notatur 258. Plotii exempla graeca 264.
Plutarchi error 242. Plutarchum falsa tradere de Sardanapali statua, auctore Clearcho 252. seq. sed inscriptionem ipsam citat ex Apollodoro 245. seq.
πνεῦμα Διονύσου per metaphoram 166.
Poesis altior 118. seq. 162.
Polycrates Atheniensis rhetor, Socratem mortuum et Philaenidem insectatus 193. in Philocratem comicum mutatus; *Polycrates* et *Philocrates* confusa 193. seq.
Polygnotus 187.
Produci primam syllabam in v. ὑποχετεύων apud Empedoclem 119.
Pronomina permutata apud poetas Alexandrinos 232.
Propertii modicam esse insolentiam 184. Propertius fabularum antiquarum amator ibid.
Proserpina in Attica, prope Cephissum, rapta 153. Proserpina fortasse confusa cum Orithyia ibid.
πρόσωπ' elisa littera α 145.
Prouerbium Choerili: fragm. IX. conf. 100. et fragm. VI. VII. prouerbiales versus ex epitaphio Sardanapali 197. seq.
πτερὰ *sagittas* audacter Aeschylus 191.
Πύραννος fabulae nomen 53. seq.
Pythermi Teii scolion, quod respexit Hipponax vel Ananius 247. seq.

Pythium dici hexametrum 263.

Q.

Quintus Smyrnaeus 72. quatenus Arctinum referre videatur 185. 186. seq.

R.

Rabirium poetam fortasse respexisse Ciceronis ex Sardanapali epitaphio versus 254.
ῥανίς 172.
ῥηγμίν, ἀκταί per metaphoram 167.
Rhapsodi 60. quibus poetis studuerint: Choerilo iussi 89. seqq.
Rhiani Messeniaca 71.

S.

Sacae, qui Scythae Amyrgii, Asiani, Scytharum coloni dicuntur Choerilo et hinc Ephoro 122. seqq. μηλονόμοι 124. an contra Scythas militauerint in exercitu Darii 128. contra Graecos cum Xerxe militauerunt 129.
Samiorum in Lysandrum studium et leuitas 46. 49. 88. Samiorum an fuerit officium in pugna Salaminia 158. Samiorum naues 156. seq. Σαμιακός 101.
Sardanapali notitia apud Graecos 210. monumenta duo et duo epigrammata 197. seq. et alterius paraphrasis prosa oratione scripta 200. 202.
Sardanapali epigramma sepulcrale versibus heroicis scriptum 196. eius versuum numerus, et qui quantumque ex eo laudent 196. seq. Hoc epigramma et Anchialeum confusa 198. cf. 204. seq. Vtrumque quando et per quem innotuerint 199. cf. 241. Sepulcrale vtrum Choerili sit nec ne 199 seqq. et vtrius Choerili: esse Choerili Iasensis 205. seqq. sed duos ex eo versus ante Choerilum Iasensem exstitisse, paullo aliter scriptos et melius 208. seqq. cf. 234. seq. Cratetis et Chrysippi parodia 197. 209. 211. 212. seqq. In epitaphio Sardanapali versuum numerus 196. 217. seqq. duo additamenta aliena, vnum ignoti hominis, alterum Chrysippi 218. seqq. vnde natus sextus, qui circumfertur versus 220. seq. cf. 223. Henrici Stephani de hoc epigrammate disputatio 221. seqq. Qui id non sint imitati 223. seqq. cf. 255. imitatione expressit, sed Nino tribuit Phoenix Colophonius 226. varia in illo lectio, eiusque varietatis caussae 209. 231. seqq. eius particula, quae soluta oratione circumferebatur 235. seq.
Anchialeae inscriptionis quadruplex forma et recensio: prima Aristobulea 237. seq. altera Arriani, additamentis alienis interpolata 238. Quid Clearchus in illa nouauerit 239. seq. Varii scriptorum errores, Anchialeam inscriptionem cum altera, sepulcrali, confundentium 240. seqq. Qui testes harum rerum sint antiquissimi 241. Apollodori paraphrasis iambica iuscriptionis Anchialeae et inde nata forma tertia 243. seqq. Quarta forma apud alios, et Suidae vindicanda 247. seq. Sardanapali statuae in monumento Anchialeo gestus 249. seqq. an saltantis ea speciem habuerit 252. seq. statuae vestitus et materia 253.
Sardanapali epitaphium latinum factum per partes a Cicerone aliisque 253. seqq.
Satyrica an fecerit Choerilus tragicus 12. 265.
σκαφίον meretricum 139.
Scazontes 195.

Scholiastes Aristophanis ex vita Sophoclis falsa repetiit 7. eius error ad Suidam transmissus 243. cf. 249. quae habeat ex Apollodoro 243. seqq.
Scholiastes Aristotelis apud Victorium 104.
Scholiastes Aristotelis a Neobario editus 110. eius errores 110. 112.
Scholiastae Horatii 33. seq. cf. 82. seqq. et 206. seq.
Scholiastae Luciani error 193. seq.
Scolia 246. seq.
Scymnum Chium ex Ephoro cognouisse Choerilea 123. seq.
Scythas an nouerit Homerus 121. seq. Scythae Europaei 122. seq. Scythae νομάδες 124. Scytharum primus meminit Hesiodus 124. Σκύθας Hesiodus vltima breui 125.
Sigmatismi exemplum 157.
Simonides ναυμαχία, Orithyiam vbi raptam narrauerit, et qua occasione narrauerit 153. seq.
Solymorum situs 134. seq. Solymi et Hierosolyma confusa 132. 133. conf. 136.
Sophocles contra Thespin et Choerilum tragicum scripsit 8.
Stephani Byz. fortasse erratum 198. conf. 242. ex Strabone hausit sua 237.
Stesichori in Helenam carmen, et palinodia, cuius exordium deflexum est in prouerbium 120. Stesichorus metri Choerilei fortasse auctor 261. 262. eius nomen corruptum *Terpsichorus* ibid.
Stobaei sermonibus quae adscripta auctorum et operum nomina, dubiae esse auctoritatis 79. 160. conf. Addenda.
Strabo lapsus, Ephori loco non bene intellecto 128. seqq. Strabonis fortasse error 100. cf. 205. alius error 204. conf. 242. Strabonis interpres latinus 121. 204. ex variis auctorum latinorum versibus Sardanapali epitaphium integrum conflauit 253. seqq. cf. Add.
Suidae codex ms. Lugduno-Batauus 8. seq. 11. 17. seq. 53. 235. 247. 248.
Suidas de Panyasidis aetate tradit diuersa 15. seq. de Choerilo falsa Suidas 24. 40. seq. 44. 84. seqq. 90. 101. quae fortasse partim praeiuerat Hesychius Milesius 35. conf. 182. Suidas notatur 242. interpolatus ex Arriano 247. seq. Suidae auctor an Callisthenes 251. Suidae locus qui desideratur apud Kusterum ibid.
Synaeresis durior in voc. χρεώ 161. imperfectorum in εον exeuntium 137. qua lege permutetur cum forma contracta ευν 147. seqq.
Syncellus fortasse corrupit antiqua nomina 9. 16.
Syncope comparatiuorum et superl. Add. ad p. 217.
συός magis frequentatum Homero quam ὑός 157. seq.

T.

Terrarum nomina primitus adiectiua 113. seqq. nomina vaga 135.
τετραλογεῖσθαι 9.
τέχναι 105.
Thales an immortalitatem animae docuerit 182.
θαλίῃσι: pro quo antiquissimi ἐν θαλίῃσ 234.
Theognis 162. 234.
θεράπων Ecphantidae Choerilus quo sensu 55. θεράποντες Μουσάων poetae 106. seq.
Thrasymachus Chalcedonius rhetor 31.
θυητῆς 229.
Tonderi in orbem, vetitum Iudaeis, commune Arabibus et Phoenicibus aliisque populis,

Graecis quoque, sed non vno modo 132. seqq. 138. seqq.
Tragoedia Choerili qualis fuerit 12. cf. 265.
τριχοκουρίδες vox nihili 138. τροχοκουράδες, περιτρόχαλα et al. 138. seqq. τροχοκουρίδες an τροχοκουράδες 145.
Tynnichus: eius nomen corruptum 39.
Tzetzae exegesis ad Hermogenem inedita in bibl. Reg. Dresd. Add. ad pag. 189.

V.

Vaticanae prouerbiorum appendicis auctor notatur 243.
Venae terrae per metaphoram dicuntur fluuii 190. *venae aquarum* ibid.
Versus graecus prouerbialis apud Gregorium presb. 172.
Versus latinus metro carens ignoti auctoris 254.
Virgilius 95. Choerilum fortasse imitatus 107.

X.

ξίον fortasse monosyllabum 149.
Xerxis ratis et Darii confusae 128. seq.

Y.

ὕβρεως κρατῆρες; Ὕβρις dea 166. seq.
ὕδω et ὑδέω Callimachea, qua quantitate 183.
ὑλήεντι κολώνῃ, ὑλήεντι Ζακύνθῳ Add. ad p. 74.
ὑόπρωρος 156.
ὑός minus frequentatum Homero quam σνός 157. seq.
ὑπασπίδιος 76.
ὑπερλελευκάνθαι 187.
ὑποχετεύων prima producta Empedocles 119.
ὑποψοφεῖν τοῖς δακτύλοις et sim. 250.

Z.

Zethi et Amphionis nomina in versu hexametro 76. seq.

LIPSIAE

IMPR. BENEDICTUS GOTTHILF TEUBNER.